

PRÆFATIO.

Nobile profectò , & utile , ac quotidianum esse de *Primariis Pre-*
cibus Cæsareis Argumentum , nemo est , qui ignorare possit ,
 si vel à limine Jura & Publica , & Ecclesiastica salutaverit .
 Nobile , cum exhibeat unum è Nobilissimis Reservatis Cæsareis , Uti-
 le , cum utilissimo , perque Historiarum , & Juris publici , Canoni-
 cique Leges latè diffuso nitatur fundamento . Quotidianum , id quod
 ex quotidiana Praxi , & Exercitio Juris illius in Imperio Nostro Ro-
 mano Germanico palam est , manifestumque . Hæc perpendens , haud
 difficulter tractus sum , ad suscipiendam præstantissimi hujus Reservati
 Imperialis Disquisitionem , utût difficultatibus sat multis involutam ,
 nec me deterruit , dum videbam , Suprema Mundi Capita : Summum
 nempe Pontificem , & Augustissimum Imperatorem in hujus Juris
 Exercitio suas habere Partes , Eisdémque Capitula Germaniæ , & Col-
 latores Ecclesiasticos proximè non unâ ex causa accedere . Minus me
 deterruit , dum audiebam mihi perpetuò inculcari : *Da Pontifici ,*
quæ Pontificis , Cæsari , quæ Cæsaris , & Ordinariis Collatoribus Ec-
clesiasticis Germaniæ , quæ eorum sunt ; æquâ namque mensura cuique
Suum pro viribus tribuere intendo , quod an exactè , & feliciter ubi-
 que affecutus fuerim , id Lector Amice dignosces , si sequentia Dissertationis meæ Capita , eorúmque contenta impartiali Tuo Examine
 subjeceris .



CAPUT I.

DE

Origine, Progressu, & Definitione Primariarum Precum.

§. I.

Quanquam Originem Primariarum Precum, seu tempus illud, quo Imperatores Romano-Germanici cœperint uti hoc Jure, non ad eò certum, & non nihil obliviosæ antiquitatis nebulis involutum fateri debeam: Si tamen illa (quæ antè aliquot annos in Gymnade Tricoronata edoctus sum) Historiarum Principia in medium proferre liceat; Juris hujus prima incunabula si non citius, saltem nono à CHRISTI nativitate sæculo non sine fundamento me statuere puto.

§. 2. Surrexit namque hoc tempore Othoniel quidam, aut Gedeon, qui populum DEI durissimâ servitute antea pressum in libertatem assere-
ret, cæcæque gentilitatis fugaret tenebras. Fuit is Carolus cognomine Magnus, ast rerum gestarum multitudine & in Ecclesiam meritis Maximus ex antiquissima Ducum Austrasiæ Prosapia Pipini Francorum Regis Filius. Augustalibus Insigniis à Leone III. tunc temporis Pontifice decoratus perpetuum se se Ecclesiæ Defensorem spondit, & non spondit tantum, sed & re demonstravit. Saxones enim, gentem illam quis nescit bellicosissimam, cum Duce suo Wittekindo devicit, devictamque sibi, CHRISTO quòque & Ecclesiæ subjugavit. Patris sui Pipini Exarchatum & Umbriam quondam Ecclesiæ donantis exemplo insitens bona in Ecclesiam contulit sat insignia; Idola ubique subvertenda, Hæreses proscribendas, Populumque conversum ab idoneis erudiendum instruendumque curavit Pastoribus, dico; Pastoribus, en Erektionem aliquam Beneficio

ficiorum curatorum. Episcopatus (qui certò sub se continere debent Cathedralis, & Collegiatis Ecclesiis, quid enim, amabo! vellent soli Episcopatus) Episcopatus inquam fundavit undecim. Monasteria erexit 24., tot scilicet, quot Germani numerant Literarum Elementa. Succellit Carolo Filius Ludovicus pius, pari in Ecclesiam pietate & munificencia ductus; omne enim tùm in fundandis, tùm in exornandis sacris ædibus studium impendit atque ingenium.

§. 3. His præmissis quis mihi vocabit in dubium: quin religiosissimi hi Imperatores in dictis Episcopatibus, Cathedralibus, aliisque Ecclesiis sivè sæcularibus, sivè regularibus, sivè Collegiatis, sivè curatis per se utpotè fundatis dotatisve potuerint exercere Primarias Preces? potuissent enim sibi per expressum quoad has Ecclesias reservare Jus patronatûs, & sic quâ Fundatores præsentare ad quascunque vacantes Dignitates, aut Beneficia; cur non Jure Primariarum Precum nominare ad unam unicam primò vacantem Dignitatem, aut Beneficium? cum in imò Casu plus sanè sit, ac 2do. Imò Jus hoc non tantùm poterant exercere in Ecclesiis à se fundatis dotatisque, verumetiam in aliis; nec credo ullum Collatorem pro tunc temporis ordinarium contradixisse & recusasse, Precitam à munificentissimis, meritissimisque his Principibus ad unum ex Beneficiis sive aliàs Collationi subjectis nominatum admittere. Fuisset namque ingratitude maxima, Illis ne in una quidem Præbenda permittere Exercitium Primariarum Precum, quibus tamen in acceptis ferre debebant, vel quod essent ad veram Fidem conversi, vel quod tot, tamque insignia Bona in Ecclesiam essent collata, vel quod saltem ab illis, Eorùmque Successoribus ex suscepto perpetuæ Defensionis, & Advocatiæ Officio penès ista bona adversus Invalores fortiter essent manutenendi.

§. 4. Quodque Progressum Precum illarum attinet, sententia mihi videtur minùs dubia, quod Successores Imperatorum Caroli Magni, & Ludovici in Sæculo nono potuerint in Exercitio primariarum precum & licite, & validè continuare. Præsertim si istud Exercitium per Actus notorios, publicos, continuos & uniformes scientibus potentibus contradicere, & non contradicentibus Beneficiorum Collatoribus (sivè illi fuerint Summi Pontifices, sivè Episcopi, sivè alii Collatores Ecclesiastici) quietè pacificeque fuerit frequentatum. Benè attento, quod hi Actus aded notorii, aded publici, & unà simul aded longum tractum habentes, & nullà efficaci contradicitione impediti indubiè debeant dici pro introducenda legitima Consuetudine sufficienter qualificati. Consequenter sicut Summi Pontifices, cæterique Collatores Ecclesiastici potuissent quoad Beneficia ad Eorum Collationem spectantia per expressam Concessionem Jus hoc Augustissimis Imperatoribus concedere, profectò nihil vetat, quominùs & per legitimam Consuetudinem Jus illud acquirerent.

§. 5. A potiori Imperatores in Sæculis X. XI. XII. Sceptra Imperii Romano - Germanici rotantes licitè validèque potuerunt persistere in isto Precum Primariarum Exercitio, tùm quia nondum evanuerant amplissima Caroli, & Ludovici in Ecclesiam Merita, tùm quia nova his Sæculis accessere. Et Sæculo X. quidem adest Otho Magnus cognomine non tantùm, sed & in Ecclesiam Meritis Carolo Magno non inferior; Hunnos Germaniam latè devastantes tantà affecit strage, ut è centum millium Exercitu vix pauculi in Panoniam reversi attulerint cladis nuncium; undè factum est, quod Episcopatus, & Capitula Germaniæ, ac Beneficia inibi fundata fuerint servatà. Græcos, & Saracenos profligavit ex Italia. Danos, Sorabos, Venedos, Bohemos, Caroli imitatus exemplum, non tam in suam, quàm Christi redegit Ditionem. Veterem Pipini, Caroli Magni, & Ludovici pii Donationem Ecclesiæ factam novo sancivit Decreto. Nec eo contentus; Episcopatus quoque fundavit quàm plurimos. Sæculum XI. exhibet Henricum Sanctum, Ecclesiam hic ubique defendit fortissimè, auxitque liberalissimè, aded ut Advocatus Sti Petri, & Ecclesiæ Defensor sit salutatus; Stephanum Hungariæ Regem cum Regno universo ad Christi deduxit Castra, gloriosum indè Apostoli Hungariæ nomen sortitus. Sæculo XII. clari in Ecclesiam Meritis extitere Lotharius II., & Conradus III., quorum primus Defensor Summi Pontificis egregius, alter verò ab Expeditione cruciata adversùs Turcas suscepta non incelebris.

§. 6. Progrediendo ad Sæculum XIII. Acephalo per annos aliquot Imperio tandem præfectus fuit Rudolphus I. Habsburgicus, Inclytus ille Gentis Austriacæ Patriarcha. Vetera hic Ecclesiæ Privilegia & rata habuit, & nova adjecit. Testis hic mihi est par millibus unus, quod in anterioribus Sæculis modò in usu fuerit Jus Primariarum Precum; quodque Antecessores sui frequentaverint actus illos notorios, publicos, uniformes, de quo superius §. 4. dixi. Id quod constat luculenter ex formula, quâ Imperator hic concedere (concessisse enim nemo dubitat) solitus fuit Primarias Preces, quam in extenso affert *Joannes à Chockier in Scholiis in Primarias Preces pag. 4.*, Verba Rudolphi ad rem meam conducentia sunt sequentia. = *Ex antiqua, & approbata, ac à Divis Imperatoribus, & Regibus Inclytæ Recordationis, nostris Antecessoribus usque ad Nos producta Consuetudine.* =

§. 7. Sunt equidem, non me latet, qui Originem Primariarum Precum ad medium Sæculum XI. & ad Sæculum XII. referunt, idque ob Merita Imperatorum, obque fundatos ab Iphis Episcopatus, & Beneficia; ast cum hæ ipsæ rationes jamtùm in Sæculis IX. X. initioque XI. In Carolo Magno, Ludovico pio, Othone Magno, Henrico Sancto, provocando ad §§. præcedentes in superlativo gradu verificentur, cur mihi non liceat, Natales Gratiae hujus Imperialis Sæculo IX. adscribere? Et licet

primos antiquissimæ illius consuetudinis (mediante quâ jus Precum stabilitum & roboratum Rudolphus Ipse in Sæculo XIII. fatetur) actus assignare sit difficile , non tamen à vero aberrare mihi videor , si actus istos jamtùm sub Carolo Magno , ejusque Successoribus in Sæculo IX. X. XI. sequentem in modum exercitos fuisse dixerò . Imperator Carolus præter Foundationes Pastorum , Episcopatum , Beneficiorum (de quo supra mentio facta) in Regnis tum ab hostibus liberatis , tum devictis , & ad veram fidem deductis constituit Catholicos Præsides , & Officiales , tam Bellicos , quàm Civiles , qui Gentem subactam & regerent , & ad rebellandum proclivem continerent . Quis negabit ? quod hi & apud hunc Augustissimum Imperatorem , & apud ejus Successores sæpè sæpiùs pro filiis , consanguineis , aliisque personis sibi gratis Sollicitationes & Commendationes expetierint , ut earum intuitu Episcopi , & Collatores Ecclesiastici in Cathedralibus aliisque Ecclesiis Beneficia commendatis conferrent . Quis porro negabit ? quod Augustissimi Imperatores hisce supplicationibus aurem benignam præbuerint , suasque Literas commendatitias ad Collatores ordinarios direxerint , quas illi reverenter ex rationibus §. 3. adductis acceptantes Precistam datâ occasione Beneficii vacantis Collatione providerunt . Dùmque hæc res supplicantibus non semel ad Vota cesserat , alii , similem apud Imperatores petitionem interponentes Primas Preces ab Iphis ad Collatores Ecclesiasticos obtinere continuerunt , ne verò Imperatores unum eundemque Collatorem , unam eandemque Ecclesiam nimis gravare censerentur , & ad hunc , & ad illum Collatorem , & ad hanc , & ad illam Ecclesiam , sed semel tantùm , Preces porrexere , id quod tam diu publicè , notoriè , continuò & uniformiter frequentatum esse debuit , donec exindè legitima Consuetudo fuerit nata .

§. 8. Nec obstat , quod tum temporis in Germania Canonici plerumque communem vixerint vitam , ità ut Episcopus vel Præpositus Clericos Canonorum albo inscriberet ; Dignitates in Capitulis constitueret , cur enim Imperatores non potuissent ad talem Episcopum , aut Præpositum Preces dirigere , ut Precistam præ alio in locum deficientis assummerent , Precista namque ille debuisset se communi huic vitæ accommodare , Legesque Canonicis ità viventibus præscriptas observare . Et hinc si adhuc hodie darentur Canonici , & Collegiatæ Ecclesiæ , in quibus communis ista vita observaretur , & in quibus Consuetudo illa nominandi Precistam aliàs observata fuisset , certè Jus nominandi Precistam ad tales Ecclesias Imperatori salvum existeret , eo modo , sicut si Augustissimus Imperator Carolus Magnus , Ejusque Successores in Monasteriis fundatis unum Precistam idoneum nominassent , isque solitus esset ad Novitiatum , & deindè si dignus repertus fuerit , ad Professionem admitti , Preces Imperiales adhuc hodiernis temporibus ad ista Monasteria , ut in communi viventia , dirigi possent .

§. 9. Hæc de Origine, & Progressu Primariarum Precum, quantum licuit, dicta sufficiant, restat illarum Definitio, seu summaria Descriptio, & dico: Jus Primariarum Precum *Reservatum Imperiale Ecclesiasticum*, *vi cuius Neo-Electo Imperatori ex antiquissima, & approbata ab Antecessoribus Divis Imperatoribus ad Eundem deducta Consuetudine competit potestas ad hoc, ut in qualibet Ecclesia infra fines Imperii Romano - Germanici sibi possit personam idoneam ad Beneficium vel actu vacans, vel vacaturum nominare, in quocunque demum mense Beneficium istud vacaverit, quodque Precista Cæsareus de Beneficio isto (quod infra mensem à die vacaturæ duxerit optandum) percipiam, cui Jus conferendi competit, provideri debeat.* Pergo singula Definitionis formalia sequentibus explicare Capitibus, sitque

CAPUT II.

Quis Preces exerceat, & ex quo Jure?

§. I. **D**ico: Jus Primariarum Precum esse *Reservatum Imperiale Ecclesiasticum*, estque hoc apud Interpretes extra controversiam. *Vid. Hermes in Fasciculo Juris publici de Reservatis, & Regalibus Imperatori competentibus Cap. XI. N. VI.* Dumque Jus Primariarum Precum assero esse Reservatum Imperiale, idèd Jus illud Originariè in Suprema Imperatoris Majestate, ac in Summo illius Imperio radicum est; proinde nullus alius, sive Elector, sive Dux, sive Archi-Dux, sive Episcopus, sive Archi-Episcopus hoc Jus in Imperio Romano - Germanico ob deficiens Supremæ Majestatis Imperatoris fundamentum exercere potest; & quia est Reservatum Imperiale cum addito: *Ecclesiasticum*, idèd exercetur circa rem Ecclesiasticam, nempe circa Beneficia. Et licet regulariter Laicus ad Beneficia actum Præsentationis, aut Nominationis exercere non possit, attamen illud cessat, si ad hoc aut per consuetudinem legitime introductam, aut per expressam concessionem qualificatus fuerit, & hinc Reservatum hoc differt ab aliis Reservatis Cæsareis circa materiam profanam versantibus, horum namque Exercitium Imperatori etiam in actu 2do competit, absque quod aliqua aut Consuetudo, aut specialis Concessio prævie requiratur, per quam Imperator, utpote ex suprema sua Majestate ad hæc Reservata actualiter exercenda idoneus, reddatur ad actuale Exercitium habilitatus. Interim de singulis his Reservatis impræfens mea non agit Disputatio.

§. 2. Competit Potestas exercendi Primarias Preces Imperatori neo-Electo. *Reiffenst. de Primariis Precibus §. 20. N. 570.* ubi Nota: ab Electoribus non eligi propriè Imperatorem, sed *Regem Romanorum* promovendum in Imperatorem per confirmationem, Consecrationem & Coronationem, *Leuren. in Foro benefic. Sect. 3. Cap. I. §. 10. Qu. 604. N. 1.*
quo-

quousque ergò hæc nondum intervenerunt, Imperator non solet dici absolute Imperator, sed cum addito: Electus Imperator, aut in Imperatorem. *Wagnereck Lib. 3. Tit. 5. de Præbend. & Dignit. in 6to pag. 487. versu in Imperatorem electo.* Indè oritur inter Interpretes Punctus ille sat controversus: an non igitur Imperator Preces concedere possit antè Confirmationem? Quæstionem hanc *Cbockier Sect. 2. Qu. 12. Cap. 11.* dicit, se malle proponere, quàm decidere; & *Hermes Qu. 16.* ob rationes hinc indè æqualiter ponderantes intellectum suum vult captivare. Ast juvat notare ea, quæ desuper habet *Wagnereck loco, & pag. citatis, Versu, Quæres,* ibi= an Electus Imperator ex Sola Electione habeat Jus & Auctoritatem administrandi Imperium, concedendi Privilegia & gratias, aliaque faciendi, quæ sunt Potestatis Cæsareæ antè Confirmationem & Coronationem? Si Jura sola consideremus, sententiâ Negativa juxtâ ipsum est illis conformior, & nititur hac ratione, quia Electus in Imperatorem talis non est, nisi confirmetur, & coronetur, nemo autem operatur, antequàm sit. Si verò attendimus Consuetudinem, quæ prævalet, affirmandum est: adducendo authores hanc sententiam esse communem attestantes; idque, juxtâ eundem *Wagnereck*, tanto potiori Jure facit, si Confirmationem jam petierit, atque acceperit, etsi nec Coronatus sit, nec fortassis coronandus. Ex quo sequitur: sicut usu, & Consuetudine introductum est, ut Privilegia, & gratias aliàs Imperatori competentes Electus in Imperatorem concedat, ita posse quodque concedere Preces Primarias antè Confirmationem & Coronationem. *Addit pag. 488. versu, neque obstat. circa finem:* sic vidimus Ferdinandum IV. sel. mem. in Regem Romanorum Augustæ electum absque mora Preces Primarias nemine improbante contulisse, antequàm Confirmationem Româ petere & acquirere potuerit, Prædecessorum utique suorum exemplo. In eandem abeunt sententiam *Leuren. Quæstione jam antè citata 604. N. 2. Rciffenst. eodem loco ut supra N. 574. versu, Quæritur 2dò, ubi pro eadem citat. Pirring, & Engel.*

§. 3. Exercet igitur Preces neo-Electus Imperator, exercet illas vel per se, id est: immediatè, vel mediatè, seu per suos Commissarios, ita ut prærogativa Precum quoque gaudeat Nominatus à tali Commissario, factum enim à Mandatario juxtâ terminos Mandati ab ipso mandante factum censerì debet; *Cap. qui facit, de Reg. Juris in 6.* Et ita Imperator *Wenceslaus* olim modò hoc Jus per Dioccesin *Spirensis*, & *Wormatiensem* *Ruperto Seniori Palatino* concesserat, *Hermes hic Q. 15.* Sic *Ferdinandus II*, teste *Cbockier, pag. 21.* hanc Facultatem cesserat *Electori Coloniensi*. Exercet Imperator hoc jus nominando Precistam vel ad unam, vel ad plures Ecclesias, quod secundum fit vel simul, vel successivè; simul, si unico contextu, & eodem Diplomate quempiam nominaret ad plura Beneficia in diversis Ecclesiis constituta, successivè, puta, hodie nominando Precistam ad Ecclesiam A., post aliquod tempus ad Ecclesiam B., &

fic

fic diversis Diplomatibus. Proderit autem hæc multiplicata, ad diversa Beneficia vel simultaneè, vel successivè facta Nominatio, ut quis certius citiusque consequatur Beneficium, nam citius solet contingere vacatio quædam in pluribus, quam in una solummodo Ecclesia, quamvis vacatione hac in unâ eveniente, & subsequatâ Collatione omnes aliæ gratiæ, seu Nominations ad alia Beneficia mediantibus primis Precibus factæ illicò cessent, ne videlicet quis præter intentionem concedentis plura consequeretur Beneficia *Reiffensf. hic N. 587.* Per hoc tamen non negatur, quin etiam post adeptum prius Beneficium, siæque consumptam priorem gratiam, seu nominationem possint eidem Precistæ per Imperatorem novæ Preces Primariæ ad aliud Beneficium porrigi, tum quia clara hic est mens Imperatoris, quod velit duplam præstare gratiam, tum quia per hoc nemini generatur præiudicium, tum quia 2dum hoc Beneficium vel erit compatibile cum *imo*, & Precista utramque retinebit, vel erit incompatible, & per pacificam hujus sortè pinguioris, aut aliàs Precistæ magis proficui assentionem *immo* vacabit ipso jure. Idem *Reiffensf. loco mox. cit.*

§. 4. An verò Imperator, postquam uni Preces concesserit, possit variare, aut easdem revocare? Quæstio est distinctione terminanda, aut enim jus est quæsitum Precistæ, v. g. si is Preces acceptaverit, eo ipso namque acquirit jus petendi *immo* vacaturum Beneficium, & non poterit Imperator variare, aut revocare; quando enim Princeps alicui Benemerito donat, vel concedit (ut facit Precistis) non debet facultas hujusmodi, seu Donatio auferri ab ipso sine causa. Aut jus non est quæsitum Precistæ, sed tantum nomen ejus in albo, seu rotulo Cæsareo descriptum, & tum haud dubium, quin Cæsar possit revocare; neque enim per inscriptionem in Rotulo jus aliquod in re, seu ad rem acquiritur, sed est tantum nuda Annotatio ad Principis memoriam, non ex tempore inscriptionis juris alicujus Concessio ideoque sic inscripti expectantes dicuntur, non prævili, sed in suspensio hærentes, quorum jus non est irrevocabile, sed conditionale. *Chokier pag. 32.* Ex his inferitur: quod si Cæsar hodie unum coram Capitularibus viva voce nominaret, & cras 2do Preces conferret, qui omnino tutè cupiens procedere, curaret solenni ritu desuper expediri Literas Cæsareas, hic tamen non erit præferendus *immo*, tum quia Scriptura non est de essentia gratiæ, tum quia jus *immo* quæsitum ei sine causa auferri nequit. Quid si tamen duo, aut plures Precistæ de eadem data, de eodémque Beneficio concurrerent? & *Reiffensf. Leuren. Sect. 3. Cap. 1. Qu. 619.* I. Dum ex Scriptura, seu Diplomatibus de eadem data, vel etiam aliundè constat, quis eorum prius Preces obtinuerit, is erit præferendus, cum qui prior sit in Scriptura, etiam censeatur prior in tempore. II. Qui prius Executori præsentat Diploma, præfertur alteri, cui de eadem data facta est Precum collatio.

III. Præfertur ille, cujus Diplomati inserta est clausula: *Motûs proprii*, vel clausula: *etiamsi alteri contulerimus*: ea enim denotat, gratiam alterius esse posteriorem. IV. Dum unus denominatus à Cæsare, alter ab eo, cui Cæsar hac in re partes suas commisit, nec constat de prioritatem temporis, præfertur, qui à Cæsare nominatus. V. Si Cæsar uno eodemque verbo Primarias Preces, seu Nominaciones conferat duobus pro eadem Ecclesia, neutra collatio valet, cum deficiat potestas, & consequenter voluntas.

§. 5. Licet ex dictis Imperator sine causa nec variare, nec Preces semel concessas, & acceptatas revocare possit; manet tamen ipsi libera facultas surrogandi alium, si prior Precista ante Beneficii obtentionem, aut pacificam possessionem Precibus renunciaverit, aut si morte præventus fuerit. Nam sicut Patronus laicus potest plures præsentare, donec actus plenè fuerit consummatus, sic & Imperator hic poterit nominare plures, donec Nominatio sua plene fuerit effectuatâ, id est: donec Nominatus aliquis tandem quieta & pacifica gaudeat Beneficii collatione & possessione; & hoc casu potius est ad primum jus accumulatio, quàm variatio, *Chockier pag. 24.*

An verò & ea Imperatori competat facultas, ut concedendo Preces possit immutare naturam Beneficii e. g. si in Ecclesia omnes deberent esse Comites, Barones, Nobiles, aut Doctores; An possit nominare aliquem istis qualitatibus carentem? omisâ Chockieri distinctione: An Imperator ut Patronus conferat, utpote extrâ materiam vagante R. *cum Hermes de Jur. Reserv. & Reg. Q. 16.* simpliciter Negative, non enim potest Imperator jus Ecclesiæ convellere. Accedit, quod limitata potestas transeat cum suo onere, ideoque tenetur nominare secundum qualificationem, quâ tenebatur Collator ipse providere, uti & is, ad quem sit devolutio, adeoque concedere Preces hominibus illius qualitatis secundum naturam institutionis Beneficii, & denique ubicunque Dispositio Fundatoris est certa respectu certæ Personæ & loci, non potest alterari. *Leuren. hic Q. 611.* Sed quæres: Num ergò Imperator concedendo Preces nequidem de novo poterit apponere conditionem. Quod pariter negatur *ex Cap. 2. de Elect. in 6.*, nisi talis sit conditio, quæ tacitè insit: sic valet collatio Episcopi, qui confert curatam Ecclesiam sub conditione: si resignavit primam; nam hæc tacitè inest, *Cap. de multa, de Præbend.*

§. 6. Dixi §pho jam præcedente: per mortem Precistæ non impediri Imperatorem, quin alium substituât. Quæstio jam est: An per mortem Imperatoris Precista pariter non impediatur, quominus eveniente vacatione utatur Precibus? & R. non impediri. Mirè tamen Quæstionem hanc pro, & contra defendit *Chockier pag. 53. & sequentibus.* Verùm cum Sententiæ Negativæ & assistat observantia, optima dubiorum interpres, cumque assistat Juris ratio, cum per Nominacionem Cæsaream,

ream,

ream, & acceptationem Precistæ res defierit esse integra, Precistæque jus aliquod ad vacaturum imò (aut quod optaverit) Beneficium sit quæsitum, hanc Sententiam etiam in Puncto Juris admitto indubiam, præsertim quia Imperator primarias Preces exercet vigore Supremæ Majestatis Imperatoris per Consuetudinem inveteratam & approbatam qualificatæ, quapropter Preces Cæsareæ sub hoc respectu reales potius, quàm personales dici debent, quæ morte concedentis non expirant, licet effectum nondum habuerint. Id quod confirmatur per hoc, quod Commissio Executoribus ad exequendum Preces dari solita non regulatur adinstar mandati, quod re integrâ expirat, sed sit instar gratiæ, quæ etiam durat post mortem concedentis per *Cap. super gratia 9. de Offic. & Potest. jud. Deleg. in 6. per totum.* Imò Preces adhuc valent, si Imperator alicui eas concessit Verbo, vel Signatura, & moriatur ante expeditionem, *Hermes Cap. II. N. 23.*, ubi tenet, quod Successor in Imperio teneatur eas expediri facere; nam in lingua Principis stat gratia, in Scriptura Testimonium, in executione Commoditas: consequenter Scriptura non est de forma essentiali, sed solum de probatoria. Nec denique Imperatori circa jus Precum obstat Præscriptio, contra Privilegium enim consistens in voluntate Privilegiati non currit Præscriptio, si eousus non fuerit, dummodò tamen alii (id est Prædecessores) usi fuerint. *Leuren. hlc Q. 625., Chockier pag. 21.* Hæc de eo: quis Primarias Preces exerceat? dicta sufficiant.

§. 7. Quod *adum* Capitis præsentis membrum attinet, quo Jure scilicet Imperator Preces exerceat? Quæstio est non paucis involuta difficultatibus, totque hlc videris penè sententias, quot in Primarias Preces Scriptores. Alii enim jus illud ex Jure Majestatico, illique adhærente Jure circa Sacra. Alii ex Dignitate Imperatoris Canonicali, quam in quibusdam Ecclesiis accipit, fluere credunt. Quidam ad Coronationem Imperatoris solummodò provocant. Nonnulli Foundationem & Dotationem Ecclesiæ, Privilegiorumque Concessionem, uti & Ecclesiæ Defensionem & Advocatiam fontem unicum assignant. Multi ex consuetudine antiqua & approbata, multi ex Indulto Summi Pontificis Jus illud deducere adlaborant; quæ postrema Sententia tempore Josephi I. Romanorum Imperatoris, Sacerdotium inter & Imperium, Summum intelligo Pontificem inter & Augustissimum Imperatorem varios causavit motus; & quamvis dissidia inde orta fuerint composita, attamen cum nondum autoritate publica definitum, undenam Imperatori jus Precum primariorum competat, sed usque adeò post tempora Josephi I. quæstio illa acriori, quàm unquam antea Studio inter Authores disceptetur, malè mihi verti non autumo, si prærecensitas Sententias paucis discutiam. Veriorem verò, salvâ tamen utrique Potestati & Pontificiæ, & Cæsareæ

debita, humillimâque Veneratione suis rationibus paulò latius corroborèrem.

§. 8. Ac primam quidem quod attinet Sententiam, est illa Scripto-
ribus Protestantibus compluribus propria, verùm præter alia, quæ Viris
in Historia tam Ecclesiæ, quàm Imperii versatis relinquo fundamenta,
seiscitari meritò ex illis possem; si Imperatores Preces exerceant ex Jure
quodam Majestatico, & circa Sacra. Cur ergò solam sibi adstruunt, &
semper adstruxerunt Precisæ Nominationem, relicta Collatoribus Eccle-
siasticis Ordinariis Collatione & Institutione? II. Cur in suis Diplomatibus
Juris hujusmodi Majestatici, & circa Sacra omninò immemores pro-
vocant ad Antiquam, eamque approbatam consuetudinem? III. Si tam
Sanctè credant Protestantes, adesse tale Jus circa Sacra, & Majestati-
cum, cur in Pace Westphalica super Precum Exercitio fecerunt
controversiam? dilucidè comprobantes: ex Jure Majestatico, aut
circa Sacra Preces Imperatorias non profluere. *2de* in ordine
allatæ opinioni non multum quoque inest roboris, quid enim Dignitas
illa canonicalis, non realis, sed honoraria? II. cum Imperatores in qui-
busdam Ecclesiis, & quidem Cathedralibus honorariam illam adepti fue-
rint Dignitatem, cur Preces exercere potuissent in aliis Ecclesiis, ubi in
numerum Canonicorum non sunt recepti? III. Imperatores nunquam ta-
le Jus in Ecclesia S. Petri romana sibi prætenderunt, licet ei speciali Ca-
nonicorum ritu quoque fuerint adscripti? *3tia* Sententiæ, Patroni vel
erunt intelligendi de Coronatione Pontificia, & scimus, Carolum V. ul-
timò fuisse per Pontificem coronatum, Successores tamen illius Jus Pre-
cum nihilominus continuasse, vel volunt intelligi de Corona Germani-
ca, & obstat tum quod *supra* §. *hujus* Cap. *2do* dixi, tum quod nullum
à tempore dicti Caroli V., imò à tempore erectorum Concordatorum
usque ad præsens ævum existat Diploma Cæsareum, quod ullam Coro-
nationis seu fontis hujus Juris mentionem faciat. Tutius his procedere
videri possent, qui in *4ta* supra recitata sunt Sententia, Cæsarique Jus
Precum tam ex fundatione & Dotatione Ecclesiarum, Privilegiorumque
concessione, tum ex Advocatia, totiusque Ecclesiæ Defensione adstruere
fatagunt. Verùm licet hanc opinionem, si loqui velimus de Causa Pre-
cum remota, & occasionali (intellige illa, cujus intuitu Capitulo Dissertationis
meæ primo dixi, incepisse actus illos notorios, publicos, conti-
nuos & uniformes) licet, inquam, sub hac limitatione Sententiam il-
lam approbem, non tamen iis authoribus assentire poterò, si de unico
Precum Primariarum fonte, deque earum Causa proxima id sentiant;
nulla enim Diplomata Cæsarea ad hanc Privilegiorum Concessionem, ad
Ecclesiarum Fundationem, Dotationem, aut Advocatiam unquam provo-
carunt. Imò si Advocatia Ecclesiæ foret proxima Primariarum Precum
causa, cur nec olim, nec hodie Imperatores illas Preces exercuissent in
Ecclesia romana, cujus tamen jam tum à tempore Caroli Magni etiam
Advocati & Defensores existunt?

§. 9. Restant examinandæ duæ posteriores Sententiæ , ac illi quidem, qui Jus primariarum Precum ex solo Pontificis Indulto Imperatori tribuunt , maximè se fundant in Literis Clementis XI. initio Sæculi Nostri sub Josepho I. ad Capitulum Hildesienſe emanatis , quas videre poteris *apud Oligonium pag. 172.* , in quibus Summus Pontifex asserit I.

Nullum relidere Jus penès Cæsaream Majestatem dirigendi Preces Primarias, multoque minus sub comminatione poenarum, quarum vi possint commendati talia Beneficia assequi. II. Fas nãnque non esse Laicæ potestati, Collatores Ecclesiasticos cogere ad conferendas Precutis Præbendas. III. Pergit: Jus illud nisi Authoritate Apostolica fulciatur in Germaniæ Partibus non posse obtinere, cum Concordata sint in contrarium, IV. Provocat ad Exemplum tot Imperatorum à Friderico III. ad Leopoldum usque, qui hoc Indulto se curaverint muniri, imò huic, nempe Leopoldo, cum Preces Indulto destitutus voluisset exercere, non exiguam, nec contemnendam Collatorum Germaniæ partem resistisse, Preces nec admisisse, nec Executioni dedisse. His quatuor ex Epistola Clementis depromptis rationibus accedunt totidem aliæ ab Authoribus hujus Sententiæ passim proferri solitæ I. Bullas Pontificias volunt id evincere in verbis = *de Nostra mera liberalitate.* Item, *de Apostolicæ Potestatis plenitudine* ab Imperatoribus aliàs certè non admisis. II. Variè in eisdem Bullis jus hoc Cæsareum esse coarctatum. III. Ex Praxi, quæ constat, Lites ratione Precum exortas in Curia Romana decidi. IV. Ex natura Nominationis ad Beneficia, cujus Jus, cum spiritali esset annexum Imperatorem de se hujus Nominationis fore incapacem: juvat hæc tum ex Epistola Clementis, tum ex ipsis Sententiæ præfatæ Authoribus deducta Argumenta paucis refutare. Et I. si nullum Jus relideret penès Cæsaream Majestatem dirigendi Preces, undè tot Imperatores, undè ipse Rudolphus I. Princeps pienssimus Preces sine Indulto exercere? provocantes ad antiquam & approbatam Consuetudinem, indeque, se, aliàs, incapaces, habilitatos non ignari. II. Cur Imperatores Juri huic suo legitime acquisito insistentes non potuissent comminari redituum, aut Privilegiorum Subtractionem? non per hoc in jura Ecclesiæ involantes, sed Jus sibi quæsitum conservantes. III. Quod argumentum illud ex Concordatis petitum concernit, *agam infra Cap. IV. §. 2.* IV. Dicit Summus Pontifex: quod tot Imperatores curaverint se *muniri* Indulto; ergò debuit aliquid adfuisse, quod muniretur, quod enim non est, muniri nec potest; majori facilitate obviatur rationibus à Scriptoribus allatis, I. verba illa = *de nostra mera liberalitate*, & similia = cur Imperatores non permisissent inferi Bullis Apostolicis probè gnari, verba illa non replicare super Jure Precum sibi de novo concedendo, sed jamtum competente muniendo. II. Cum venia istorum Authorum nego: Jus illud Cæsareum esse variè coarctatum per illa indulta, nam plus dico, est amplia-

pliatum; datur enim inibi Imperatoribus Facultas, constituendi Executores Ecclesiasticos, qui Censuris Ecclesiasticis Collatores Ordinarios fortè Precistis resistentes cogere possint, de quo latius *infra Cap. 4.* III Lites circa Preces exortas non in Curia Romana, sed in Judicio Imperiali Aulico decidi, Regressu usque aded Romam prohibito, non unum hodie adest præjudicium. IV: Nec obstat: cum Imperator legitima Consuetudine sit habilitatus. Hæc paucis dicta sufficiant, pluribus §. *insequenti* stabienda.

§. 10. Devenio ad Sententiam è diametro contrariam, cui insistens juxtâ allatam *Cap. 1. §. fin.* Juris Primariarum Precum Definitionem. Dico: Augustissimo Imperatori Jus illud competere *ex antiquissima, & approbata, ab Antecessoribus Divis Imperatoribus ad eundem deductâ Consuetudine.* I. In hac namque Consuetudine se modò fundavit in Rescripto Precum Rudolphus I. Sæculi XIII. Imperator, nec constat: quod Ipse, aut Ejus Prædecessores Indultum expetierint, & tamen Preces exercuere. II. Ab ævo dicti Rudolphi ad tempora Friderici III. nullum adduces Diploma Cæsareum Primariarum Precum ullam Indulti Apostolici mentionem faciens. III. Nullum quoque ad hæc usque tempora reperies ad antiquam illam, & pro tempore Rudolphi I. modò approbatam Consuetudinem non provocans, IV. Istam Consuetudinem legitimè esse introductam apertè constat *ex Cap. Dissertationis I. §. 3. V.* Imò Collatores Ordinarii, sive illi fuissent Summi Pontifices, sive Episcopi, sive alii, non tolerassent tales actus, multò minùs Precistis Cæsareis dedissent collationem & institutionem, quam dum per tot Sæcula dederunt, certe ipso Facto toties repetito Consuetudinem istam antiquam speciali suo consensu firmarunt, & hinc rectè Rudolphus se fundat in *antiqua & approbata* Consuetudine, VI. Si nullum Indultum Apostolicum unquam supervenisset, quis negasset, Imperatores licitè perrexisse in antiquâ & toties tum Summorum Pontificum, tum Collatorum Ordinariorum tacito speciali, imò satis qualificato consensu approbata Consuetudine; Etenim si hanc Consuetudinem nec Summi Pontifices, nec Ordinarii Collatores approbare voluissent, tunc profectò non debuissent admittere Precistas ad Beneficia, eisdemque desuper Collationes impertiri, idque per tot Sæcula, antequàm de speciali Indulto Apostolico per Imperatores obtento quidquam ex Historia istorum temporum legitè constet. VII. Ipsa Indulta Apostolica ex post supervenientia præ-existentm hanc Consuetudinem tantummodò corroborant, sicut Res judicata non constituit, sed confirmat Consuetudinem præ-existentm. VIII. Sicut ergò & Judices, & Ipsimet usque aded Legislatores tenentur præ-existentm legitimè introductam consuetudinem in judicando sequi, & eos, qui in eadem legitimè introducta se fundant, penes illam contrà quoscunque defendere; sic etiam ipsimet Summi Pontifices, & Ordinarii Col-

Collatores obligati erunt, Antiquissimam illam per tot actus Collationum approbatam Consuetudinem observare non tantum, sed & Precistis assistere, ut effectu Primariarum Precum potiantur. IX. Idque ed magis quia dum & Summi Pontifices, & Archi-ac Episcopi, & quoque Ordinarii Beneficiorum Collatores per tot Sæcula & viderunt, & sciverunt, quod Augustissimi Imperatores Primarias Preces publicè, notoriè, continuè uniformiter exercerent, nec tamen contradixerunt, sed econtrà Precistas nominatos ad Beneficia admiserunt, eosdèmq; de illis providerunt, & provideri sine ulla contradictione passi sunt, certissimè per hunc factum specialem tacitum consensum per tot Sæcula continuatum, ac insuper omni ex parte qualificatum æque fortiter, quantum fuit in ipsis, habilitarunt Augustissimos Imperatores ad Exercitium Primariarum Precum, ac si etiam specialia ad illud Indulta, specialesque concessiones in sollemnissima forma impertiti fuissent. X. Dumque Augustissimi Imperatores actus istos Notorios, publicos, continuos & uniformes per tot Sæcula in exercendis Primariis Precibus cum effectu frequentantes justissimas habuère causas, quare ad istos actus processerint, ob tot scilicet fundata Beneficia curata, ob tot erectos Episcopatus, & Collegiatis Ecclesias, obque susceptam Ecclesiæ Universalis defensionem. Idcirco sane Consuetudo quoad exercendas Primarias Preces legitime introducta, ac modò per tot Sæcula ante Rudolphum I. ab Ipsismet & Summis Pontificibus, & Ordinariis Collatoribus per tacitum specialem consensum approbata debet dici Jus irrevocabile Augustissimis Imperatoribus pro exercitio Primariarum Precum tribuisse, quod jus proindè Iphis invitis adimi nequaquam poterit. XI. Quantum ergò ad Indultum speciale, quod deindè in recentioribus Sæculis Imperatores sat multi obtinuerunt, illud præterquam quod roboret Consuetudinem per tot Sæcula abante legaliter introductam, insuper suos habet speciales effectus, dum per illud redduntur certa, quæ aliàs poterant Imperatorem inter, & Beneficiorum Collatores esse dubia atque controversa, dùmque facultatem Imperatori impertitur ad hoc, ut possit denominare Viros Ecclesiasticos Primariarum Precum Executores, quibus per Indultum Apostolicum sat ampla tribuitur potestas, mediante quâ Collatores Ordinarios Precistam admittere recusantes compellere possint, alios effectus subticendo, qui mox sunt plures, mox pauciores, prout Indultum vel magis, vel minus reperitur esse extensum. XII. Et licet sinè Indulto isto speciali Executio Primariarum Precum hîc & nunc non fuerit satis prompta ob Collatorum Ordinarios renitentiam, non fuère tamen Imperatores destituti remediis ad illam obtinendam opportunis & necessariis; patet id ex sequenti formula in Diplomate Precum ab Imperatoribus inseri solita. \square *Contumaciâ verò vestra, aut contemptu, quod absit, per mensem continuum à die requisitionis numerandum, durante, vos omnibus & singulis Privilegiis,*
Gra-

Gratiis, Libertatibus, & Donationibus à Romanorum Imperatoribus & Regibus... eo ipso privatos, & nostrâ Tuitione exutos declarent. = De reliquo ob rationes præadductas & Summi Pontifices, & Ordinarii Collatores ob Consuetudinem legitimè introductam & approbatam, obque datum suum specialem tacitum in illam consensum per tot Sæcula modò antè Rudolphum I. continuatum haud difficulter suam Precisiis impertiri poterunt assistentiam, eò quod ex Consuetudine numeris omnibus absolutà debeat dici Jus esse quæsitum Augustissimo Imperatori ad exercendum Primarias Preces, & Precisæ ad obtinendum earundem effectum. Pro magis magisque firmandâ hæc mea Sententia provooco ad ea, quæ habet Benedictus XIV. in sua Epistola instructiva ad Excellentissimum D. Nuncium Apostolicum Coloniensem Die 28. Octobris 1747. missa §§. 42 & 43., ubi loquitur de illa controversia, quæ Bonifacium VIII. inter, & Philippum pulchrum, Regem Franciæ super exercitio Precum Regiarum intercessit; Verba Pontificis sunt hæc = *Ad Te hujusmodi Ecclesiastica Dignitatum, Personatum, Canoniatuum, Beneficiorum & Præbendarum Collatio non potest quomodolibet pertinere, nec pertinet, nec per Tuam Collationem potest alicui Jus acquiri sine auctoritate, vel Consensu Sedis Apostolicæ NB. TACITIS, vel EXPRESSIS* = His respondet Rex = *Quod collatione Beneficiorum usus est, & utitur, sicut ad Eum pertinet de Jure, & bonâ Consuetudine, sicut Sanctus Ludovicus, & alii Prædecessores sui usi fuerunt à tempore, cujus memoria non existit, nec circa hoc fecit, aut intendit facere aliquam Novitatem, nec credit, quod Papa sibi facere velit, qui longum usum suum, & Prædecessorum suorum in collatione hujusmodi novit plenissimè ab experto.* = Hac super Controversia laudatus Summus Pontifex in cit. §. 43. adducit Sententiam Thomasini, prout sequitur = *In aperto est, tanti non fuisse eam rem, ut meritò de ea contenderetur tantopere, & tamdiu, cum & Pontifici, & Regi persuasissimum esset, Antiquos Pontifices non nescisse, & saltem tolerasse hanc Gallicæ Regum Consuetudinem, ex quo fiebat, ut tacita saltem eorum intervenisset consensio, cum ità res se haberet, cum ità utrimque in confesso esset, jam vereor, ut satis causæ fuerit vel Pontifici, vel Regi, quam obviam confiteri detrectarent, quod detrectare non poterant. Juri Regio Pontificiam accessisse, SALTEM TACITAM, CONSENSIONEM.* = Ex his infero, quod quoad Primarias Preces Cæsareas ex rationibus supra latè deductis Juri Cæsareo Pontificia accesserit, saltem tacita, Consensio, antequàm ullum speciale Indultum Apostolicum intervenerit, quodque tacita ista consensio Consuetudinem illam inveteratam reddiderit licitam, validamque, eandemque Consuetudinem speciale Indultum Apostolicum superveniens corroboraverit.

CAPUT III.

Quinam sint Capaces Primariarum Precum? Quae Beneficia his Precibus afficiantur? quae contra excipiantur? ac intrà quod tempus Precista optare debeat?

§. I. **E**xaminato in Capite precedente, Quis? & ex quo Jure, Praeces exercere? videndum nunc recto ordine, quis cum effectu Precista constitui possit? Et generatim quidem, si Praescriptum Ss. Canonum attendere fas est, Precistas iis virtutibus, dotibus, ac qualitatibus emnere oportet, quae alias in Statu Canonicali, aut Clericali desiderari solent; Is enim, qui inhabilis est ad Beneficium obtinendum, inhabilis quoque est ad illud optandum. Ergò I. requiritur, ut non Laicus sit, sed Clericus, primà saltem Tonsura initiatus tempore acceptationis, & collationis, eò quod in Beneficialibus attendatur tempus praesens, sive collationis. *Hermes Cap. II. Qu. 55.* II. Ut non sit notatus illegitimis natalibus, vel aliqua sive ex delicto, sive ex defectu proveniente irregularitate, & Juris communis obstaculo impeditus. Nec mirum, cum Sanctiones Conciliorum, & Decreta Pontificum à consecutione omnis Beneficii Irregulares, aut Illegitimos gravibus ex causis excludant. Nec sufficet natalium restitutio ab Imperatore facta, utpotè quae ad Beneficialia non extenditur. Secus esse dicit *Chockier pag. 76.* Si cum Illegitimo à Papa dispensetur. An verò Ecclesiae Germanicae, sive Cathedrales, sive Collegiatae admissurae sint taliter dispensatos, valde dubitare licet; indecorum quippe foret, ejusmodi homines tam Insignibus adscribi Ecclesiis, atque in consortium Illustrium Personarum, aut saltem honesta Parentela gloriantium admitti. III. Ut habeat Aetatem, Scientiam, Ordinem, & qualitates alias, quae ad Beneficii affecutionem, vel ex Juris communis dispositione, vel ex Fundatione requiruntur. Exploratum quippe est: Praeces Imperiales illi Juri, & Fundationibus derogare non posse, *uti insinuavi supra Cap. II. §. 5. ad Quaestionem: An Imperator concedendo Praeces possit immutare naturam Beneficii.* Ulterius verò

§. 2. Hic procedunt Interpretes, & quærant: Quid si illa qualitas ad obtinendum Beneficium non ex Jure communi, aut Lege Fundationis requireretur, sed ex speciali duntaxat Ecclesiae Statuto, aut Consuetudine: An tunc Precista tale beneficium absque ea qualitate possit consequi? Nonnulli, ut *Leurenus hic Qu. 610., Wagnerck, & Chockier* id affirmant, dicitantes hujusmodi Statutis in Indultis Primariarum Precum à Sede Apostolica esse derogatum, cujus rei confirmandae causa in medium producent Nobilis cujusdam Ecclesiae Capitulum à Ferdinando II. nominatum Precistam Nobilitate carentem tandem admittere fuisse contactum.

actum. Verùm missò, an Summus Pontifex per suas Constitutiones Statutis & Consuetudinibus specialibus Ecclesiarum Germanicarum derogare possit, attamen in hac Precum causa potius attendenda erunt Praxis Imperii communis contraria, facta Ecclesiarum, quæ consimile quid tentanti Ipsimet Pontifici obviuntur, Capitulationes Cæsareæ, vi quarum Cæsar Statuta, & laudabiles Consuetudines Ecclesiarum Germanicarum tueri tenetur; & demùm *Instrumentum Pacis Westphalicæ art. V. §. XVIII.* Ubi Precum effectu duntaxat gaudere posse dicitur, *qui ad normam Statutorum & observantiæ idoneus habetur.* Imò cum Imperator nominando Precistam intret quasi in locum Collatorum Ordinariorum pariter utilli, tenebitur specialia Statuta, & consuetudines observare; quodque assertur de Ferdinando II. præjudicium, tanti momenti non est, ut has rationes elidat, fortassis enim in illa Ecclesia Imperatores talem consuetudinem, quæ hic vel maximè attendenda, introduxerant: *Ultimò* quærunt Interpretes: An quis à posteriori Precum fiat incapax contrahendo Matrimonium, emittendo Professionem Religiosam? & *R. Hermes Cap. II. Qu. 45.* Quod Imperator contrahenti Matrimonium Precistæ alium surrogare possit. Quid si verò Matrimonium non tenuerit? Precibus non excidit, *Cap. non præstat de Regulis Juris in 6.*, Imò qui impetravit Preces, dein uxorem duxit, si tempore vacantis postea Præbendæ Uxor mortua sit (siquæ Preces per Imperatorem non fuerint revocatæ) primam vacantem prætereundere poterit in sua Viduitate. . . quod in secundo Casu Precista emittendo Professionem Religiosam excidat jure Precum affirmat. *Chokier pag. 30.* cum Professione emissa non detur regressus ad Beneficia secularia, secùs ergo esset, si quâ Precista ad Novitiatum esset admissus, tunc enim Professione emissa Preces plenum sortirentur effectum.

§. 3. Quæ Beneficia Primariis Precibus subjaceant, aut non? *2. Am præsentis Capituli membrum erat, vindicat autem Formula Precum Cæsarearum Imperatori Jus porrigendi suas Primarias Preces ad omnes & singulos Collatores, Collatrices, Capitula, Conventus & Collegia, & alias Personas de Beneficiis per Univerſum Romanum Imperium constitutis quocunque modo disponendi Jus habentes.* Verùm limitatur hoc cognoscendi principium; quod non competat Imperatori Facultas, ad has Personas commemoratas dirigendi Preces, nisi *Consuetudine* ea sit quæſita, ac firmata: cum enim mensura illius Juris ex ea duntaxat juxtà ipsam Cæsarium Contestationem sit desumenda, ad eam unice respiciatur necesse est. Si proindè ad totum Capitulum, Conventum, vel alium quemcunque Collatorem non fuerint Preces unquam antea directæ, aut si quæ sint porrectæ, effectu tamen semper caruerint, illæ nec modò dirigi poterunt.

§. 4. Porrò adseritur in eadem formula Cæsari Potestas consequendi pro Nominatis Precistis *Beneficia Ecclesiastica cum Cura, & sine Cura,*
Circá

Circà quod tamen observandum : quod ubi Cæsari ex Consuetudine integrum sit , nominandi Precistam ad Curatum Beneficium , talis antea admitti non soleat , quàm præviè examinatus , & ab Ordinario approbatus , *Chockier pag. 37. Leuren. Qu. 607. N. 8.* , Res enim esset plena periculi , inexperto comittere curam animarum. II. Comprehendit *Formula* illa Precum *Beneficia omnia secularia* ; at hïc quoque animadversione opus est : sic namque Consuetudo illa antiqua , & approbata se non extendit I. ad Beneficia Apostolicæ Provisioni reservata , *Extravag. ad Regimen* , videlicet Dignitates , & Beneficia S. R. E. Cardinalium , Officialium , Curialium , Familiarium Papæ , & aliorum ibi expressorum. Item Beneficia vacantia in Curia , & Eorum , qui ad hanc accedentes , ab Eâve recedentes in Locis ultra duas Diætas ab eâ non remotis ex vivis decedunt *Chockier pag. 73. II.* Nec ad Dignitates Pontificales , sive Episcopales , utpotè quarum Electio libera Capitulis Cathedralibus competit , neque eam unquam Cæsares per Preces citrà Concordatorum violationem , ac Juris jurandi infractionem imminuere aut quærent , aut tentabunt. III. Nec ad *Dignitates Pontificalibus proximas in Ecclesiis Metropolitanis & Cathedralibus* , ut in Imperio nostro sunt Præposituræ , vel Decanatus. IV. Nec ad *Dignitates primas in Collegiatis*. V. Nec ad *Beneficia ad Sedem Apostolicam legitime devoluta*. Dico : ad Apostolicam Sedem , Ergò , si ad immediatum superiorem , Pontifice tamen inferiore devoluta sint , Precibus erunt obnoxia , Exceptione firmante Regulam in Casibus non exceptis. *Hermes Cap. II. Qu. 28.* VI. Nec ad *Litigiosa* , id est , super quorum proprietate eorum Possessoribus defunctis mota Lis adhuc indecisa pendet , quia gratiæ expectativæ , quibus Preces accensentur , generatim non cadunt super Beneficia litigiosa , nisi vel Lis sit notoriè frivola & calumniosa , vel solum super Beneficii possessione , *Leuren. Qu. 608. N. 6.* VII. Nec ad *Beneficia Monocularia* , non enim solent Imperatores gravare Collatores , nisi quatuor conferre habeant Beneficia , ac aliàs Collator toto vitæ suæ tempore nunquam ipse conferre posset. VIII. Nec ad *Beneficia Juris patronatûs Laici* , & *mixti* , ne Patroni ab hujusmodi Piiis Foundationibus absterreantur. IX. Nec ad *Manualia* ad nutum revocabilia. Item *Ministerialia* , quibus annexum est onus canendi , vel dirigendi Canentes in Choro ut Vicariatus Chori , nam in his nec Consuetudo antiqua , nec Praxis moderna Cæsari suffragatur. X. Nec *regulariter ad Beneficia vacantia per Resignationem , aut permutationem* *Chockier. pag. 35. Leuren. Qu. 608. N. 8. & 9.* Ubi largè adhuc tractat , quænam Beneficia Sæcularia insuper à Precibus excipiantur , quo me remitto. Illud tamen hïc semper præ oculis habendum , quid secum ferat Consuetudo , & Observantia.

§. 5 III. Extendit se *Formula* Precum Cæsarearum ad Beneficia *Regularia* : quo super me refero ad *Cap. I. §. 8.* hïc addens , quod Preces

Cæsareæ ad Beneficia Regularia locum habentes differant à *Literis Panis* ad Monasteria per Imperatores dari solitis, super quibus in *Epistola Infructiva superiùs Cap. II. citata* Benedictus XIV. §. II. habet sequentia. Id omni ævo habuit Imperator, ut invalidos milites, atque rerum administratos Monasteriis commendaret ad præbendorum largitionem: turpiter cum hoc Jure plerique confundunt Preces Primarias, quibuscum nihil habet commune. Differentiæ enim variæ sunt Primariæ Preces inter, & Literas panis: Primariæ Preces semel tantum exercentur per Neoelectum Imperatorem, Commendationes autem invalidorum militum solent fieri, quoties Miles commendatus deficit. Preces Primariæ exercentur favore Clericorum ad Ecclesiæ Servitium, Literæ panis autem dantur pro vitæ mediis Laico ad ea comparanda ex supportatis belli, aliisque incommoditatibus reddito incapaci. IV. Eadem Precum Cæsarearum *Formula nominatim* varia Beneficia secularia exprimit, & falsi Precum Primariarum submittit semper enim hæc inferuntur verba = *Etiam si Canonatus & Præbendæ, Personatus, Administrationes, vel Officia fuerint in Collegiata, Cathedrali, vel Metropolitana Ecclesia: etiam si ad ea consueverint qui per Electionem assumi, ad Collatorum, Collatricum, Capitulorum, Collegiorum, sive Personarum prædictarum Collationem, Provisionem, Electionem, Nominationem, Præsentationem, seu quamlibet aliam Ordinationem conjunctim vel divisim spectantia.* = An verò hæc omnia ita illimitatè hodièdum procedant, *distinguendum erit*: Inter Officia, & Dignitates, quæ Præbendæ cuidam vi Fundationis, vel Consuetudinis aut Statuti alicujus Ecclesiæ sunt *indivulsè* annexæ. Et inter illas, quæ Canonatui annexæ non sunt. Quod primo casu Precista vacante tali Præbenda Precibus Primariis aliis obnoxia simul optare possit annexam *indivulsè* Dignitatem, aut Officium, certi Juris est; sicut enim ab Ordinario aliis Providendus, unà simul acciperet talem Dignitatem, aut Officium annexum, sic idem jus erit Precistæ. Quid verò in altero casu decidendum, ubi talis Dignitas non est Præbendæ annexa, sed vel per Electionem, vel ratione Senii, vel alio modo distribuitur, certam Regulari non adstruo, optimè id quævis Ecclesia teste experientia & usu determinabit; cum enim ipsimet Imperatores ex antiqua Consuetudine Jus suum deriverent, ultra se gravari nulla permittet Ecclesia: Hæc Generalia sunt de Beneficiis Precibus Primariis subjectis, aut non subjectis.

§. 6. Specialia hæc examinant Interpretes, & I. quid statuendum quoad *Beneficia erecta priùs post concessas alicui Preces*, An & hæc Precista statim valeat optare? Et Sententia Negativa præplacet, tum ne Fundatores deterrentur, si fundata à se Beneficia statim deberentur Precistæ, nec ipsi haberent liberam collationem, tum quia tale Beneficium noviter erectum propriè non dicitur vacare, *Leuren. Qu. 608. N. 10. II.* Quid quoad *Beneficia Unita*, e. g. Collator Ecclesiasticus, ad quem directæ Pre-

Preces, hoc tempore habebat adhuc conferre quatuor Beneficia, postea unum illorum fuit unitum; quid Juris? nocebitne Precistæ? nequaquam *R. Chockier pag. 46.*, quia tempus datæ in hoc Casu inspicere debet, *Cap. si eo tempore de Rescript. in 6.* III. Quid dicendum quoad *Beneficia suppressa*? Si in aliqua Ecclesia Statutum sit factum, ut legitima ex causa supprimatur unus, vel plures Canonicatus, ut 12 Canonici redigantur ad septem, nec ante post mortem præsentium Canonicorum ulli provideatur, quàm ad Septenarium numerum deventum sit. Quæritur: An Precista exspectare *debeat*, donec quinque sint mortui, & dein moriatur sextus? quod negatur, quia hoc Statutum interpretandum est, ut Nulli noceatur, nec Cæsari, nec Precistæ, undè sit, quod ejusmodi Suppressiones non valeant; nisi citatis omnibus, quorum interest, & ut causæ cognitio adhibeatur, an vergat in evidentem Ecclesiæ utilitatem, *Hermes Qu. 25. IV.* Speciale dubium hic movetur, an Imperatori quoque competat jus Precum *in Terris Augustanæ Confessioni addictis*? Quæstio hæc pro, & contra ventilata decisa tandem fuit *in Instrumento Pacis Westph. Art. V. §. 18.* In his verbis = *Ubi Sacra Cæsarea Majestas Jus Primariarum Precum exercuit, exerceat etiam in posterum, dummodò decedente Augustanæ Confessioni addicto in ejus Religionis Episcopatibus Confessioni Augustanæ addictus ad normam Statutorum & observantiæ Idoneus Precibus fruatur... In mixtis verò ex utraque Religione, seu Episcopatibus, seu aliis Locis IMMEDIATIS Precibus Primariis Præsentatus non gaudeat, nisi Beneficium vacans Religionis consors possederit...* Et in art. 5. §. 25. *In quibuscunque etiam Fundationibus mediatis Anno 1624. die 1. Januarii Sacra Cæsarea Majestas Preces Primarias exercuit, exerceat eas & in posterum ad modum circa Bona immediata superius (§. 18.) explicatum.* Differentia igitur est, quod in Locis *Immediatis*, id est: Capitulis Metropolitanis & Cathedralibus Imperatori Jus Primariarum Precum indiscriminatim confirmetur. nullà facta termini normalis mentione, modò illud ante conditam Anno 1648. Pacem Westph., non autem præcisè antè terminum normalem Anno 1624. Die 1ma Januarii in iis Ecclesiis exercuerit. Et hinc si e. g. Ferdinandus II. post diem & annum normalem Preces in aliqua Ecclesia *immediatâ* Protestantium exercuisset, Preces Successoribus Imperatoribus salvæ persistent, licet non constaret, an ipse, aut Prædecessores sui Preces in illa Ecclesia *immediata* unquam antè istum terminum exercuerint. Secus statuitur de Ecclesiis *mediatis*, hic enim terminus normalis adjicitur, ut itaque in his Imperator Preces exercere valeat, requiritur, ut die 1ma Januarii 1624. jus illud verè exercuerit, id est: in ejusdem possessione fuerit. Debuit igitur Ferdinandus II. ante terminum normalem 1624. Die 1ma Januarii aut saltem ex dicti Ferdinandi II. Antecessoribus aliquis in istis Ecclesiis Protestantium mediatis Preces exercuisse.

§. 7. Dictum in prima hujus Capituli parte: quid requiratur ex parte Precistæ, ut ritè, & cum effectu nominari ad aliquod Beneficium possit? Verùm nominatione hac etiam debitè facta requiruntur & alia, ut effectum Primariarum Precum consequatur. Et antè omnia si vacans Beneficium optare velit, habet enim (juxtà formalia = *duxerit acceptandum* = in Diplomate Precum Cæsareo adhiberi solita) facultatem omitendi Beneficium vacans, & expectandi aliud vacaturum; si, inquam, vacans optare velit, tenetur *infra mensem*, Postquam ipsi *vacatio Beneficii* in Ecclesia per Primarias Preces expressa *innotuerit*, per se, vel per Procuratorem ad id speciale mandatum habentem Beneficium vacans acceptare, Primis Precibus Collatori ordinario Episcopo, vel Capitulo capitulariter congregato antè insinuat *Chockier pag. 73.* quo mense quin acceptatio facta, elapso Preces pro ea vice expirant ex parte Precistæ, qui suæ negligentiae imputare debet, quod in acceptando Beneficio vacante terminum præfixum non observarit, ne aliàs diutina nimis esset Beneficiorum vacatio. Nonnullæ tamen hic oboriuntur difficultates, imprimis, à quo tempore incipiat currere iste mensis ad acceptandum datus? & communis est Doctorum Responsio: eundem currere à *die notæ vacationis*, ut edisserunt clarè verba mox adducta ex tenore Precum. Sed *Quæres*: quandonam Precista habendus sufficientem habere notitiam? R. à tempore publicæ vacationis in loco Ecclesiæ, ubi Beneficium est. *Hermes Cap. 11. Qu. 49*: *Quæres add*: An post mensem Precista adhuc acceptare poterit, si res adhuc sit integra, nec vacans Beneficium ab Ordinario alteri collatum? & Negativam de Jure teneo Sententiam, quia non servatà forma præscripta actus nullus est, & facit, quod post mensem Executor ei providere nequeat, obstante scilicet formâ Mandati, cujus fines strictè custodiendi sunt, *Hermes Qu. 53.* *Quæres 3^{id}*, utrum hic mensis terminus currat quoque contra minorem 25 annis, aut alium legitime impeditum? Ità, ut si talis intrà mensem non acceptaverit Beneficium vacans, hoc ipsum postea, si res sit integra, si non, à Collatore Ordinario petere possit. Et communius id Authores affirmant ex ratione: quod tempus ad certum actum præfixum durante minore ætate, aut legitimo impedimento non currat. *Wagnerbeck versu, infra mensem, Qu. 5. Hermes Qu. 50.*

§. 8. Dixi initio §. præcedent: Precistam non debere præcisè primò vacans optare Beneficium, sed posse expectare alterum. Ponitur jam Casus: si primum vacans acceptaverit, idque Collatori ordinario declaraverit, an & variare licebit? & R. variare amplius non poterit, aded, ut si acceptati Beneficii Provisionem admittere nolit, aliud deinceps petere haud possit; hancque Sententiam rectè dicit *Chockier pag. 68.* Utrouque jure certam; limitatur tamen, ut non procedat l. quando primus actus (acceptationis) fuerit invalidus, veluti si necdum vacasset Beneficium

ficiam illud, si immune extitisset ab onere Precum; Dispositio enim loquens de actu, intelligi debet de primo actu valido, adeoque per acceptationem invalidam dispositio, seu facultas acceptandi non tollitur. II. Quando acceptans non possit consequi Beneficium illud, quod accep-
tavit; ut si dispendiosæ liti propterea implicaretur, non enim tantis sumptibus, & via litis aliâs à Ss. Canonibus aliena in Beneficii cujusdam possessionem se se quis protrudere tenetur. Secus igitur esset, si lis esset frivola. *ad* si Precista litem satis prævidisset, & tamen acceptasset, deberet enim litem tum prosequi, & Sententiâ contra se fortassis lata aliud vi Precum expectare Beneficium. *Ultimò* pro Coronide præsentis Capituli digna videtur Quæstio: An detur *Cumulatio Titulorum* Provisionis Ordinarii, & Precum? Seu cum Nominato à Cæsare objiceretur: Beneficium non esse Precibus affectum: An posthabitis Precibus Provisionem ab Ordinario recipere possit? quâ in re facilis est Responsio affirmativa, idque sive Beneficium vacans solum prætenderetur à Precibus immune, sive revera tale esset, electa enim via difficili aut inutili, non tollitur facilior, aut utilior, & quemadmodum qui à Patrono præsentatus ad quoddam Beneficium, litigioso tamen Jure patronatus existente, Jus, siquod habet ex Præsentatione, dimittere, & à Collatore idem Beneficium impetrare potest, ita hoc idem Precistæ haud erit interdictum, licet enim hæc duæ gratiæ Precum, & Collationis Ordinariæ sint diversæ, non tamen sunt sibi contrariæ, utpotè ad eundem tendentes finem. *Hermes Cap. 11. Qu. 62.*

CAPUT IV.

*An Precibus Cæsareis & Canones, & S. Concilium
Tridentinum, & Concordata Germaniæ obstant?
ubi & de Executoribus Precum
Cæsarearum.*

§. I. **M**ulta huc usque verba facta sunt de antiqua, & approbata consuetudine; dubium hic incidere alicui posset: An ejusmodi Consuetudo fuerit valida? Eò quod I. Sacris Canonibus videatur adversari, quibus expectativæ ad Beneficia vacatura, & Provisiones de Præbendis viventium, per quas Votum captandæ mortis alienæ plenissimum tristissimi eventûs inducitur. *Leg. fin. Cod. de Pactis.* præsertim in Ecclesia Christi damnentur, *Cap. 2. & 11. de Conc. Præbend., & Cap. 2. tit. eod. in 6.* Quin & in Regula Cancell. 20. provisum, quod si quis supplicaverit, sibi de Beneficio quocunque tanquam per obitum vacante, qui adhuc vivit, provideri, si postea idipsum per obitum vacet, Provisio antè facta nullius

lius sit momenti non tantum prior, sed etiam si renovata sit. *Cbockier ad d. Reg. Cancell.* His tamen non attentis valere Preces verius est, tum quia hæc primariarum Precum concessio generalis est & incerta, ut rectè advertit *Gail. Lib. 2. observ. 155. N. 7.* tum quia sicut omnis Consuetudo contra Legem tacito Legislatoris Consensu tandem dicitur approbata, sic & hæc Consuetudo Precum, utut contra Canones introducta, tacito Legislatoris (Pontificis) consensu approbata rectè dicitur. Nec II. obstat Concilium Trident. *Sess. 24. Cap. 19. de reform.* licet enim, prædictis Canonibus insistens, quascunque concessiones ad vacatura Beneficia tollat, easdemque nemini nec Collegiis, nec Universitatibus, nec Senatibus, nec singularibus Personis, imò nec Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus quovis colore amplius permittat. Nulla tamen ibi Precum Cæsarearum in Specie sit mentio. Præterea si dictum Concilium Preces Primarias voluisset suâ Prohibitione contineri, debuisset etiam Personam Imperatoris, speciali utpote Notâ digni, exprimere, uti in verbis expresserat Collegia, Universitates, Senatus, singulares Personas, Ecclesiæque Romanæ Cardinales. Declarat id ipsamet Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, quam declarationem hic adducit *Cbockier pag. 2.* ubi: *Et ultra rationes ponderatas à Congregatione, addit Sanctitas sua (Gregorius XIII.) quod meminit tempore Concilii (huic enim dictus Gregorius, postea Pontifex, simul interfuerat) quandò formabatur dictum Cap. 19. aliquos voluisse addere Primarias Preces Imperatori concessas, sed communior Sententia Patrum fuit, quod tolleretur earum mentio, sicque non comprehenduntur dicto Cap. 19.*

§. 2. Utrum III. Concordata Germaniæ obstant Precibus Primariis, sunt qui negant, sunt qui affirmant. Sententiæ Negativæ, quam & amplector, fundamenta sunt sequentia, I. Quod Juris Primariarum Precum nulla omninò in Concordatis fiat mentio; ergò nec dici poterit Jus illud per Concordata sublatum. II. Tacita namque derogatio hujus juris tam Antiqui præsumi non poterit, præsertim cum Imperatori Consuetudine legitimè introducta Jus Precum irrevocabile erat quæsitum, quod invito auferri non poterat, vel maximè, quia Consuetudo ista erat multorum Sæculorum, & sic plusquam immemorialis, quæ Consuetudo non censetur sublata, nisi expressa mentio de se in posterum non amplius valitura in posteriore Lege, aut Constitutione habeatur. III. Imperatores etiam statim à tempore Erectorum Concordatorum fundabant Jus suum Primariarum Precum adhuc in *antiquâ & approbata Consuetudine*, quod utique facere non potuissent, si per Concordata Jus illud, consequenter & Consuetudo illa Antiqua fuisset sublata. IV. Si Juri Primariarum Precum, & Expectativæ in illis contentæ per Concordata Germaniæ Anno 1448. conclusa modò fuisset derogatum, tunc sane post finitum An-

no 1574. Sacrum Concilium Tridentin., & sic post sesqui ferè Sæculum frustra mota fuisset Quæstio : An in hoc Concilio Preces Primariæ ob Expectativam inibi contentam essent abrogatæ, paritèrque omninò frustra declarasset S. Congregatio, & Ipsemet Summus Pontifex : quod, licet aliqui pro tempore celebrati Concilii dubitassent : an per abrogationem expectativarum etiam Primariæ Preces deberent dici mortificatæ, attamen contraria Sententia prævaluerit, nempe, expectativas in Precibus Primariis contentas, inattentâ derogatione Expectativarum in Tridentino factâ locum habere; id quod profectò declarari non potuisset, si Preces ob Expectativam inibi comprehensam modò per sesqui abantè Sæculum in Concordatis sublatae fuissent. Nec quidquam evincunt argumenta, quæ hic congerunt affirmativæ Sententiæ Patroni, dum dicunt I. Pacto Concordatorum publico Sedi Apostolicæ reservata sunt Beneficia, quæcunque in Curia vacarent. Item Beneficia Cardinalium & Curialium Pontificiorum, quocunque ea loco vacarent. Post libertatem Electionum Ecclesiis Cathedralibus, & Abbatialibus restitutam reliquæ Dignitates, exceptis Primariis cujuscunque Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatæ. Item alia Beneficia omnia Pontificem inter & Ordinarios per menses alternos æquatis partibus pro collatione divisa fuere; hæcque omnia factâ Friderico III. sciente, non contradicente, nec reservante, nec mentionem Juris sui ullam faciente... Verùm lubenter permitto, quod Imperator Fridericus III. Author Concordatorum hæc omnia sciverit, non contradixerit, nihil sibi reservando, nullam Juris sui mentionem faciendo, sed quæro : cur Imperator : per hæc omnia Jus suum nihil omninò lædi edoctus, contradixisset? cur Jus suum, quod non attingebatur, sibi reservasset? Nam primò quoad Beneficia Sedi Apostolicæ reservata nihil omninò novi in Concordatis fuit statutum, sed tantum *Extravagans ad Regimen* repetita, ad quæ Beneficia nec ante Ereccionem Concordatorum Consuetudo illa antiqua, & approbata Juris Primariarum Precum se se extendit, indèque nullâ Imperatoris Contradictione opus. Nec secundò per hoc (quod omnia Beneficia; exceptis Primariis cujuscunque Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatæ Dignitatibus, inter Pontificem, & Ordinarios per menses alternos æquatis partibus pro collatione divisa fuerint) nec per hoc, inquam, passum fuit jus Cæsareum; hæc enim Divisio non excludebat Preces Cæsareas, cum res ad Dividentes transeat cum suo onere; nulla ergò & hoc casu requirebatur Imperatoris contradictio, nulla juris sui mentio, aut reservatio. Nec II. movet illud Adversariorum de se sanè speciosum Argumentum, dum dicunt : cur Ipsemet Fridericus III. apud Pontificem tum temporis Nicolaum V. instare potuisset, ut per Indultum Concordatis derogaret? cur denique omnes Pontifices postea Indulta concedentes talem Concordatorum derogationem inferuerunt? Cur Friderici III. Successores id permiserunt ni-

hil omnino obnoventes tali derogatione opus haud esse? Nam *imò* hic oppono rationem meæ Sententiæ decidendi tertiam jam autè allatam. Accedit *246*, suppositivum esse illorum argumentum, dum dicunt: omnes Pontifices post Nicolaum V. per sua Indulta Concordatis *derogasse*, omnes quoque Friderici III. Successores Imperatores id *admisisse*. Nam nec Indultum Innocentii VIII. Maximiliano I. *immediato* Friderici III. Successori Anno 1492. datum (dico notanter *immediato Successori*: & sic constat: Innocentium VIII. fuisse, qui primum post Nicolaum V., & Fridericum III. mortuos Indultum dederit) nec inquam hoc Indultum Innocentii VIII., nec Indulta Clementis VII. Carolo V., & Ferdinando I. data continent Clausulam Concordatorum *derogatoriam*, undè sequitur: quod hi tres Imperatores ab Anno 1492. usque ad annum 1564. (quo in Anno Maximilianus II. Ferdinandi I. Filius in Romanorum Regem est electus) consequenter per Annos 70. Concordatis Germaniæ certò sit propinquos exercuerint Preces Primarias, absque quod Concordatis fuerit derogatum, prout patet ex Indultis apud *Oligenium à pag. 69. usque ad pag. 89. per extensum relatis*. Et cur denique Fridericus III. clausulam hanc derogatoriam non potuisset expetere? Cur alii Imperatores ejusdem Friderici, ex longo tamen satis intervallo, Successores illam non permisissent inseri Indultis Apostolicis? Non ut per hoc Jus Precum in Concordatis prætensè amissum recuperarent, sed ut illud jus legitimam Consuetudine acquisitum, nec per Concordata unquam læsum firmaretur magis & corroboraretur. Verissimum ergò est, quod nec Sacri Canones, nec S. Concilium Trid., nec Concordata Germaniæ Jus exercendarum Primariarum Precum ullo in passu abrogaverint, eò quod Imperatores, sive eos, qui post Concordata usque ad S. Concilium Trident., sive illos, qui post dictum Concilium regnarunt, consideremus, semper in concessione Precum Primariarum illa adhibuerint formalia, quod Preces Primarias *ex antiquâ, inveterata, approbata, etiam auctoritate Apostolica roborata Consuetudine* exercerent, quo super me refero ad ista formalia, quæ in superius adducta Benedicti XIV. *Epistola Instructiva* §§. 18., ac 19. habentur, dum nempe Imperatores Rudolphus II., Ferdinandus II., Matthias, ac Ferdinandus III. in concessione Precum Cæsarearum semper dixerunt: se istud Jus exercere *ex inveteratâ Consuetudine etiam Apostolica auctoritate roborata*. Ergò inveterata Consuetudo præcessit, quæ per tacitum specialem Summi Pontificis Consensum per tot Sæcula fuit approbata, & expressa corroboratio Apostolica per speciale Indultum Apostolicum subsequens superaccessit. Ex quibus Formalibus fundatè infero: quod ista inveterata Consuetudo (utut Spem obtinendi vacantia in futurum Beneficia contineat: per S. Concilium Trid. non sit sublata, cæteroquin enim hi Imperatores post Tridentinam Synodum finitam proximè sequentes non potuissent ad istam inveteratam Consuetudinem provocare; & quia non

con-

constat : quod Imperatores antè Tridentinum post celebrata Germaniæ Concordata Imperantes aliâ formulâ , quàm in inveterata Consuetudine suum fundamentum ponente, in concessionibus Precum Cæsarearum fuerint usi. Idcirco meæ Sententiæ firmiter insisto : quod nec per S. Concilium Trid., nec per Concordata Germaniæ inveterata ista Precum Cæsarearum exercendarum Consuetudo possit dici ullo in passu abrogata, sublataque. Cæteras rationes supersedeo, & ad ultimum præsentis Capituli Punctum, nempe de Executoribus Primariarum Precum acturus descendo.

§. 3. De constituendis Primariarum Precum Executoribus antè FridERICI III. tempora ex Historiæ monumentis parùm, aut nihil prorsus constat, id quod tamen hodièdùm in omnibus Diplomatum Cæsareis, queis Primariæ Preces diriguntur, observari solet, sed quo Jure Personas in Ecclesiastica Dignitate constitutas Imperator ad exequendum deputare possit, non est aded apud Doctores in confesso... Quod Jure Majestatico id possit, facilè edixerint Authores Protestantici, qui Jus circà sacra, quamvis falsò, Ipsi asserunt, cum verò hæc sententia Principiis Catholicorum adversetur, à vero eam abluere nemo Orthodoxorum inficias ibit; Hinc verius ex *Indulto Apostolico speciali expresso* id Juris Imperatorem exercere judico (hicque se exferit insignis ille Indulorum Apostolicorum effectus, de quo suprâ *Cap. II. §. fin.* mentionem faciebam) ratio est: tùm quod Cæsar ex se non habeat Jurisdictionem in Viros Ecclesiasticos in rebus Ecclesiasticis ac Beneficiariis, tùm quod in Executoribus hiscè talis emineat potestas, quam ab Imperatore habere non possunt; Dico tamen signanter ex *Indulto Pontificio speciali expresso* Imperatoribus competere hoc jus constituendi Viros Ecclesiasticos tanquam Precum Executores, sicut jam Imperatores utuntur Jure illo *ex consensu Pontificum expresso*, sic & Jus illud potuissent acquirere *Consensu illorum tacito*, modò legitimam illam Precum exercendarum Consuetudinem & eò extendissent. Quos verò Imperator vigore Indulti Executores Primariarum Precum denominat, sint *Viri Ecclesiasticæ quadam Dignitate conspicui*, quibus accensentur Personatum obtinentes, & Ecclesiarum Cathedralium Canonici, cum his solis causæ Authoritate Literarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem committi possint, *Cap. statutum de Rescript. in 6.* Cum jam plerùmque Principes Imperii Ecclesiastici constituantur Executores Primariarum Precum, hi autem negotiorum publicorum, & Ecclesiæ; & Territorii Mole, atque magnitudinè obruantur, Quæstio esse posset: An Executores Primariarum Precum suum in locum possint substituere alios, uti Subexecutores? & hoc de Jure omni caret dubio; cum enim Delegati summi Principis commissam sibi Jurisdictionem aliis subdelegare valeant juxta clara Jura *Cap. 27., Et fin. de Offic. Delegat. L. 5. col. de Judic.* Nec Executoribus Primariarum Precum talis potestas denegari poterit. Undè ta-

men *Quaestio* exurgit alia hic breviter enodanda : Utrum hi Executores quosvis Clericos ad id muneris exequendum surrogare queant? Et sine dubio id non poterunt; nam quemadmodum Executorum munia ex Indultis Apostolicis, & ex praxi assumere nequeunt, nisi Viri in Dignitate Ecclesiastica constituti, ita ex eodem momento Subexecutores agere haud poterunt, nisi item in quadam Dignitate Ecclesiastica constituti.

§. 4. De caetero amplissima est Executorum hujusmodi, & subexecutorum potestas, aded ut quosvis Collatores, etiam exemptos (gerunt enim vicem Summi Pontificis) Precibus ad se directis non deserentes, ad Beneficia Personis nominatis conferenda, etiam, si opus esset, per Censuras Ecclesiasticas compellere valeant, id quod passim inculcant Indulta Pontificia. Sed *ulterius* hic quaeritur: Utrum Executores hi, aut Subexecutores, casu quo Ordinarii Beneficiorum Collatores nullâ ratione, nulliusque Censurae timore ad conferenda Nominatis Beneficia adduci possent, Ipsimet Jure conferendi gauderent? Hac in re in æjentem concedo Sententiam, enim verò ut Primariae Praeces suo non frustrentur effectu, in eum saltem casum debet esse facultas conferendi iisdem concessa, quo spretis etiam Censuris Ecclesiasticis Collatores conferre detrectarent, ut & sat dilucidè indicare videntur Indulta Pontificia. Equidem sunt Auctores nonnulli *Wagnereck* §. 3. *versu conferre*, qui etiam extrâ casum, quo Collator Ordinarius Praecista Beneficium conferre renueret, jus conferendi Executoribus ab Imperatore deputatis competere affirmant ex eo: quod in Indultis Executores Beneficia Nominatis conferre, & assignare jubeantur, de Ordinariis verò dicatur: *quod Personae ad hujusmodi Beneficia, postquam ipsis de iis canonicè provisum fuerit, juxta Praecum & Nominationum tenorem recipere, & admittere*, hoc est: jam Institutos in possessionem inducere, seu installare debeant; in quorum sententia necessariò Sententiae praefixae Decisio in affirmativam foret resolvenda. Ast veritati & aequitati longè conformius est judicium aliorum, potestatem Nominatos instituendi, & Beneficium, ad quod nominati sunt, conferendi Episcopis & aliis Ordinariis Collatoribus adstruentium, *Chockier pag. 27.* Idque I. evincitur ex formulis Primariarum Praecum à Caesaribus usque modò usitatis, quae Collatores ab eisdem pro Collatione, seu Provisione facienda requiruntur. II. Ex eo: quod non sit verisimile, per facultatem Primariarum Praecum esse Ordinariis Jus conferendi ademptum, inque Executores translatum, cum non intersit Imperatoris, quis habeat collationem, aut institutionem, modò Praecista fortiatur Praecum Primariarum effectum. III. Ex praxi in Imperio notoriâ, quâ Capitula, & Collatores Beneficia ad suam collationem pertinentia nominatis Praecistis conferre solent, unde recitata Indultorum Formalia = *postquam ipsis de iis Canonice provisum fuerit* = ad Ordinarios Collatores *regulariter* sunt referenda; vel si referantur ad Executores, exaudienda sunt de Beneficiis,

Beneficiis, quæ Nominatis Collatores ordinarii conferre recusarunt. *Ceterum* nequaquam diffiteor, Executores Apostolica authoritate deputatos jus habere conferendi Beneficia in mensibus Papalibus vacantia, cum enim hæc ad Capitulum, aut aliorum Collatorum collationem vi Concordatorum nullatenus spectent, nec ea conferre poterunt, quo in casu duntaxat Episcopi, Capitula, aut alii Collatores Precistas de ejusmodi Beneficiis provisos ad actualem possessionem admittere tenentur.

§. 5. Ut verò ritè procedat Executor, aut Subexecutor, sequentia notet necesse est, I. à Precista intrà mensem, huic ad acceptandum præfixum, sit requisitus, irrequisitus enim suum Officium interponere nec potest, nec tenetur. II. Requisitus benè attendat in Statuta, & consuetudines rationabiles Ecclesiæ, idemque tempus, quod Precistæ datum ad acceptandum sibi datum noverit ad exequendum, *Chockier, pag. 52.* III. Si sit datus simul ad providendum, uti ex §. præcedente datus censetur, si vacatio Beneficii in mense papali contigerit, Precistam intra præfixum mensis Spatium Beneficio vacante provideat. IV. Si verò vacatio facta in mense Ordinarii, monitorias I. ad eum dirigat literas, vi quarum ad conferendum mediis adhuc pacificis inducatur. II. Si monita nihil evincant, potestate est utendum majori: minitendo vel pœnas juxtà Diplomata Precum Cæsarearum infligendas, vel minitendo Censuras Ecclesiasticas. III. Si hæc minæ incassum fuerint evibratæ, tandem ad actualem pœnarum irrogationem procedat. Hic tamen vel maximà discretionè opus; non enim statim Censura Ecclesiastica emittenda, non statim Excommunicationibus fulminandum, ne scilicet tale pœnarum genus fortè magis evilescat, sed priùs experiatur Executor, an non id efficiat pœnis temporalibus in Indultis Cæsareis vulgò expressis, obstinaces scilicet Privilegiis omnibus Cæsareis unquam concessis ipso facto privatos extosque declarando, redditus illorum constringendo &c. His verò & nequicquam inflictis tandem ad pœnas Ecclesiasticas, ceu ultimum coercendi remedium; ritè confugiet. Verùm eò nunquam, aut rarissimè deveniri solet: nam dum Collator Precistæ resistit, facile ab unâ, vel alterâ parte ad Judicem provocatur, ubi Executores se se lite desuper ortâ, & adhuc pendente ipsi controversiæ ingerere non debent, utpote quibus non Judicis officium, sed Executoris demandatum est. Si itaque liti finis impositus in favorem Precistæ fuerit, tum vel prævio judicis mandato, vel saltem victoris Precistæ requisitione facta Preces, & Sententiam executioni dare poterunt. Si verò in causa Ecclesia, vel Collator vicerit, tum enim verò Officium illorum quiescet, ac suspensum erit, donec aliud Beneficium Precibus obnoxium in eadem Ecclesia vacaverit. Hæc circa Personas Executorum, aut Subexecutorum versantur, videntur nunc, quomodò eorum Officium exspiret.

§. 6. Et variis quidem id fieri solet modis, I. per mortem eorum,

mortuus enim exequi amplius non potest. Sed *dices* : quis ergò tunc exequetur ? R. attendendum erit, an executio (idem de subexecutione) sit commissa sub nomine Dignitatis, tunc enim quia Dignitas non moritur *C. si gratiosa de Rescript. in 6.*, is, qui ad eandem subrogabitur Dignitatem, exequi poterit, *C. quoniam de Offic. Delegati*. Sin verò in casu executio commissa fuisset non sub nomine Dignitatis, sed sub nomine proprio, recurrendum erit ad primum Committentem, nempe Imperatorem, qui facillè novum constituet Executorem, imò si nec is amplius foret in vivis, id faciet illius Successor; uti id satis patet ex iis, quæ suprà *Cap. II. §. 6.* dixi. II. cessat Officium Executorum, aut Subexecutorum per *revocationem Cæsaris*, quamvis id non soleat fieri. III. Per *obitum Precistæ*, antequàm Beneficium impetraverit, non tamen per mortem Cæsaris Preces concedentis, Jus namque Precistæ, ex suprà dictis, per hanc non desinit, ergò nec desinit Officium Executoris. IV. Per omnes alios modos superiùs hinc indè adductos, quibus Jus Precistæ extinguitur, hoc enim facto nihil amplius Executoribus, quod agant, est reliquum.

Variis itidem modis officium illorum *suspenditur*, I. Si Precista Beneficium primò, vel secundò, aut ulteriùs vacans non acceptat. II. Si etiam aliquod vacans Beneficium acceptat, non autem officium executoriale requirat; non enim proprio motu absque ullâ Precistæ requisitione muneris sibi demandati partes adimplere tenentur. III. Si etiam Executores requirat, sed Preces suas autèa vel legitimè non insinuavit Collatori ordinario, vel tempore ad acceptandum præfixo Beneficium vacans non acceptavit. IV. Suspenditur Executorum officium ex *§. præced.* si lis Ecclesiam, aut Collatorem Beneficii inter, & Precistam oritur; hæcque durabit suspensio vel donec lis in favorem Precistæ fuerit decisa, vel dum aliud, quod Precista optare poterit, in eadem Ecclesia Beneficium vacaverit.

CAPUT V.

Quid de Primariis Precibus statuendum in Antiquissima Universitate Coloniensi quoad Præbendas primæ, secundæ, ac tertiæ Gratia?

§. I. Verum Juris Primariarum Precum Cæsari competentis Statum ex Genuinæ Historiæ monumentis, actisque publicis, nec non ex legibus Imperii pragmaticis, ac Sacris Canonibus hucusque examinatis ad Universitatis Ubiæ Jura (turpis enim verò ignorantia signum foret, Jura præterire domestica) tandem delabor. Ubi ut meliore eveniat

niat Præbendarum prædictarum notitia, Juræque idcirca Statuta clariùs elucescant, Ipsiùs Universitatis Origo paucis erit prænotandus. Cæpta est hæc Fundatio Universitatis Generalis Studii Coloniensis per Urbanum VI. Anno 1388. requirentibus id, & promoventibus Civitatis hujus Magistratibus, qui (cum tam in exstructis Gymnasiis, Scholisque publicis, quàm in assignato Professoribus Facultatum Juridicæ, ac Medicæ Sæcularibus paucillo licet Salario sat multùm insumpserint) vires pro angustiis illis temporibus non habebant, ut Professoribus Clericis in magna sat copia ad erigendum studium generale requisitis condigna constituerent honoraria, inde eodem adhuc ante assignato Sæculo, Anno tamen 1394. Bonifacius IX. Undecim Canonicatus & totidem Præbendas, unum & unam in Æde Metropolitana, cæteros, & cæteras in qualibet Ecclesia Collegiata Professoribus hisce (ut meliùs studium effloresceret) assignavit, & non assignavit solum, sed & *perpetuò* Universitati *incorporavit*. Atque hæc utpotè ex primo Indulto Apostolico concessæ appellatur *Præbendæ primæ gratiæ*.

§. 2. Tantùmque effloruit etiam in primo nativitatis suæ limine studium hoc generale, ut modò Anno 1416. ad Constantiense, & 1432. ad Basiliense Concilium Doctissimi quidam ex Professoribus Coloniensibus missi fuerint. Præterea Joannes IV. Brabantia Dux impetrato Anno 1426. à Martino V. erigendi ad Exemplar Coloniensis Universitatem Lovaniensem Privilegio, illuc Professorum Coloniensium nonnullos requisivit, ut Studii Generalis fundamenta quoque ibidem ponerent. Nec multùm post eodem modo cæptum fuit per Professores Colonienses Studium generale Trevirense. Quantus honos? si Antiquissima hæc Universitas Coloniensis ulterius pergeret formare Viros pro ponendo lapide angulari aliarum Universitatum idoneos. Meritis hisce laude dignissimis consideratis Eugenius IV. Anno 1437. ad ampliorem Studii Generalis Coloniensis promotionem de novo undecim Præbendas ad totidem Professorum sustentationem Universitati assignavit; hæcque secundo utpotè loco ex benignitate Summorum Pontificum assignatæ *Præbendæ secundæ gratiæ* sunt dictæ. Et hæc omnia non scientibus tantùm, verùm etiam consentientibus Augustissimis Imperatoribus facta fuere. Adhæc Fridericus III. Anno 1442. perpetuum Exemptionis Privilegium concessit omnibus in hæc Universitate Studiis operam navantibus. *2dò* In literis ad Universitatem Anno 1464. directis in eo: quod Universitati ob insignia merita prædictæ Præbendæ ad Professorum sustentationem fuerint assignatæ, omnimodam suam declaravit consensionem, quodque *3tò* notatu dignissimum, Idem Imperator in Epistola à Sixto IV. Anno 1474. expetiit, ut Octo Præbendæ Sacerdotales Metropolitanæ Colonienses non nisi graduatis conferrentur Personis; ubi in Narrativa ad Pontificem expositum fuit; hanc suam expostulationem non nisi de *Jex* dictæ Summæ Ecclesiæ Præbendis

bendis Sacerdotalibus intelligi debere, cum *duæ*, uti & in cæteris Collegiatis, Universitati existerent *Reservatæ*, desuper ad sequentia Narrativæ formalia provocando, ibi = *DUO* *Canonicatus* ex *OCTO* pro graduatis in Universitate generalis Studii Coloniensis NB. *reservati* existunt. =

§. 3. Cum verò Professores undecim Præbendas *primæ gratiæ* habentes Cathedras professorales in Facultatibus Theologica, & Juridica explere vix poterant: Professoribus in Facultate Artium *duæ* illarum solummodò fuerunt assignatæ, ideoque cæteri Artium Professores nec ullum habebant salarium, nec spem pro laboribus indefinenter impendendis ullam extrà prædictas duas Præbendas consequendi Promotionem, quod considerans Paulus IV. Summus Pontifex, simulque plurimum interesse ratus, Facultatem Artium (cæterarum omnium Seminarium) indefessis instructam esse Professoribus, ex alternativa mensium ipsi competentium Universitati tres, Martium scilicet, Julium & Novembrem per Indultum temporale de quarto Calend. Martii 1558. eo concessit sine, ut Præbendis mensibus his vacaturis Professores actu docentes providerentur, Cathedræque professorales, Professorumque promotiones magis ampliarentur. Atque hæ tertio quippe loco Universitati munificè elargitæ sunt nominatæ *Præbende tertiæ Gratiæ*. His prælibatis sequentes statuo conclusiones, I. Quod Summi non tantum Pontifices, verum etiam Augustissimi Imperatores ipsi à *Præbendis Primæ Gratiæ* Universitati Coloniensi incorporatis Precistis pro perpetuo voluerint exclusos, prout in terminis efficacissimis statuit *Bulla Alexandri VI.* de 20 Novembris 1492., & satis apertè monstravit Fridericus III. in locis superius citatis, vel maxime autem Carolus V. in sua pro generali Studio Coloniensi verè Aureâ Constitutione 4to nonas Julii 1549. firmavit, dum ex Mandato hujus Augustissimi Imperatoris Adolphus III. Archi-Episcopus Coloniensis in suis *Statutis Synodalibus* pag. 430., & 431., ibique §. de *instaurandis Lectionibus* Mandato Augustissimi mox sati Imperatoris hortatus est Universitatem Coloniensem, ut Canonici de his Præbendis provisi cessante legali impedimento ipsi Lectionibus iis incumbentibus satisfaciant. II. Quod Professores actu docentes quatuor jam ferè Sæculis prædictas Præbendas obtinuerint exclusisque Precistis quiete pacificèque possederint. III. Quod intereà temporis Preces Cæsareæ ad Universitatem Coloniensem nec unquam directæ fuerint, nec sinè læsione præactorum tam Pontificiorum, quam Cæsareorum Privilegiorum dirigi unquam potuerint, nec sufficit, ad Capitula directas esse Preces, hæc enim directio non ligabat Universitatem ex *speciali* utpotè *Titulo & Gratiæ* venientem, uti id insinuant *Hermes Cap. II. Qu. 35., Leuven. Qu. 607. N. 6., Chockier pag. 44.* IV. His consequenter Præcistæ Cæsarei tempore 400 annorum Præbendas professorales *primæ gratiæ* nunquam optavêre, V. Easque nec optare valebant cum

cum nec *inveterata Consuetudo*, Precam tamen Cæsarearum principale fundamentum, quoad *Præbendis primæ gratiæ* unquam adfuerat, nec perpen-
 sis præmemoratis Augustissimorum Imperatorum expressionibus adesse po-
 terat. VI. Jura hæc Universitatis, ut Precistæ à Præbendis primæ gra-
 tiæ in perpetuum forent exclusi, in S. Concilio Trid. (cui Professores
 Colonenses Everhardus Billicus, Theologiæ, & ad Cardinalititiam post
 nominatus Dignitatem, Joannes Gropperus, Juris, Doctores, Viri Cele-
 berrimi aderant) irrevocabiliter confirmata fuerunt, idque *in Cap. 1. Sess.*
5. de reform., ubi expressè statuitur: ut Præbendæ professorales modò an-
 tè dictum Concilium pro Professoribus actu docentibus destinatæ in poste-
 rum quoque pro Salario Professorum maneant immutabiliter destinatæ;
 ità tamen, ut Professores NB. *per se ipsos* Doctionem Præbendis hisce pro-
 fessoralibus annexam implere debeant. Cumque jam antè in Concordat-
 is Germaniæ firmissimè conclusum, ut id omne (quod in futuro Conci-
 lio ad favorem Indlytæ Nationis Germanicæ ordinatum foret) observa-
 retur. Hæc utpotè in Tridentino certò in favorem nostræ Nationis (cum
 in promotione Studiorum plurimùm interfit) ordinata manebunt obser-
 vanda; quod vel indè maximè corroboratur. VII. Cum Augustissimi Im-
 peratores Carolus V., & Ferdinandus dictum Concilium Tridentinum Ip-
 simet sedulò promoverint, illiusque disposita sinè exceptione susceperint,
 perque Legatos suos voluerint subscribi, inter alia etiam necessariò con-
 senserunt in eo, ut Præbendæ professorales antè Tridentinum erectæ an-
 tiquam suam, primitusque impressam retinerent naturam, neminique
 alii, nisi Professoribus actu docentibus concederentur, illisque in propria
 persona id facere incumberet. VIII. Insuper præfati Augustissimi Impe-
 ratores *in Recessibus Imperii* Spyræ, & Augustæ Vindelicorum celebratis
 sæpè sæpiùs præcepère, ut id omne, quod in S. Tridentino Concilio tum
 pro parte modò erat ordinatum, tum imposterùm esset ordinandum,
 strictissimè observaretur, desuper ad *Recessus Imperii* Spyræ de Anno 1542.
 §. 128., & Augustæ Vindelicorum de Anno 1548. §. 16., & ibi de Anno
 1551. §. §. 3., 4, 6. & 8. provocando. IX. Idem Imperatores Carolus V.,
 & Ferdinandus non tantum *Promotores*, & *Protectores* Sacri hujus Oecu-
 menici Concilii à Patribus ejusdem appellantur, verùm etiam in *Bulla*
sua de Anno 1563. *confirmatoria* Sixtus IV. hoc Encomium Ferdinando
 adscribit: *Quod Ipse adjunctus pio Studio Charissimi in Christo Filii Ferdinandi*
Imperatoris Sacrum Concilium ad optatum finem deduxerit. X. Quàm facilè
 denique contingere posset: quod Universitas se serè omnibus undecim
 Præbendis primæ gratiæ videret orbatam, si Precistis ad eas pateret ad-
 itus; cum enim ad has Præbendas plerùmque denominentur Viri Pro-
 fessores non in florida, sed in seniori jam ætate constituti, quique vires
 suas continuis laboribus serè exhauferant, facilè evenire posset, ut hi

primi ex Canonicis prædictorum undecim Capitulorum è vivis excederent, sicque Precistæ illas optarent, licet inhabiles, nec qualitatibus requisitis instructi, idque apertè contrà Pacem Westph. Cap. 5. §. 18. in verbis = *ad Normam Statutorum, & Observantiæ idoneus Cæsareis Precibus fruatur* = Imò dices: Precistam semel poni omnibus his qualitatibus ornatum, an non igitur potior erit alio Professore? R.: manet tamen Universitati libera facultas alium denominandi tum ex rationibus præcitatæ, tum ex ejusdem *Pacis Westphal. cit. loco*, in formalibus = *Quod ubi Sacra Cæsarea Majestas Jus Primariarum Precum exercuit hætenus, ibi & exerceat in posterum* = consequenter ubi illud Jus non exercuit hætenus, ibi quoque istud nec posthac exercere possit. Cum ergò S. Cæsarea Majestas Jus illud Primariarum Precum in Præbendis *Primæ Gratiae* nechucusque exercuit, ideò nec posthac illud exercere poterit.

§. 5. Prænumerata hæc rationum momenta tanti apud Augustissimum Consilium Imperiale Aulicum fuerunt ponderis, ut, licet Precistæ Cæsarei de Buschman, & Brøel præsentì adhuc Sæculo optassent Præbendas professorales primæ gratiæ ad S. Ursulam, & ad S. Cæciliam, nominatosque ad easdem ab Universitate Professores D.D. Stiertz, & van Meer via Facti exclusissent, eumque in finem Die 11ma Octobris 1760. *Mandata Cæsarea summè pœnalia* adversus dictos Professores obtinuissent, attamen prævia exactissima causæ cognitione ista Mandata per mox factum Consilium Imperiale Aulicum non modò ab effectu suspensa, sed & tam præexpressæ, quàm reliquæ Præbendæ primæ gratiæ Universitati pro perpetuo cum exclusione Precistarum adjudicatæ, in superque Precistæ condemnati fuerunt ad restituendos Professoribus præbendales fructus eisdem sine Jure, & titulo præreptos, dùmque lis ista Precistas inter & Professores, atque Universitatem Coloniensem sat animosa fuit, & strepitosa, variæque continet Puncta pro Precibus Cæsareis notatu digna, operæ pretium erit, & præfacta Mandata pœnalia per Precistas sub initium litis contrà Professores præfatos, & Universitatem ex Consilio Imperiali Aulico obtenta, & quoque Sententias successivè latas, atque in judicatum prolapsas, ac horum Mandatorum revocatorias, nec non Precistas deoccupationem Præbendarum primæ gratiæ cum fructibus seriò demandantes huc juxtà Ordinem describere.

§. 6. Et quidem *Mandatum* contrà Professore Stiertz latum sequentis est tenoris = Ex Mandato Majestatis Romano-Cæsareæ Francisci & c. Domini nostri Gratiouissimi Francisci Martino Stiertz Ss. Theologiæ Licentiato, & Professore Gymnasii Laurentiani Coloniae per præsentès notificetur: qualiter coràm Altissimè fata sua Majestate Cæsarea Petrus Josephus Buschman humillimè remonstrando exposuerit: quod, cum in vim Diplomatis Primariarum Precum ab Augustissimo Imperatore Carolo VII.

piissimæ mem. quoad Ecclesiam Collegiatam ad S. Ursulam Colonix sub
 annum 1742. obtenti Præbendam ibidem ex obitu Canonici Martini Rathis
 Anno præterito subsecuto vacantem debitè optaverit, ipse quoque per
 Capitulum ibidem indilatè in fructiferam possessionem dictæ Præbendæ
 immisus fuerit, dictus verò Licentiatus Stiertz interea præsumpserit,
 vigore Nominationis ab Universitate Coloniensi quoad eandem Præben-
 dam obtentæ suum recursum ratione ejusdem Canonicatûs per Petrum
 Josephum Buschmann vi Precum Imperialium optati Romam querulanter
 sumere, ibique contrà eundem Citationem adeundi Signaturam obtine-
 re; nec non ulterius mediante istius Citationis insinuatione Capitulo factâ
 impetrare, quatenûs in possessionem controversæ Præbendæ pariter im-
 missus fuerit. Quemadmodum autem sua Majestas Cæsarea nullatenûs per-
 mittere potest, quod isthæc controversia in præjudicium Supremi Reser-
 vati Cæsarei coràm Summo Pontifice decidatur, sed ejusdem cognitio
 soli Cæsareæ Majestati competat, ità summè fata Majestas Cæsarea Fran-
 cisco Martino hujusmodi recursum indebitè sumptum cum indignatione
 Cæsarea hiscè exprobratum, eidemque quàm severissimè demandatum esse
 vult: quatenûs ab eodem unâ cum reparatione damni, & expensarum
 per hunc Precistæ Cæsareo causati, & causatarum indilatè desistat, nec
 non à possessione in vim obtentæ Citationis impetratæ recedat, minûs
 sæpeditum Precistam Cæsareum in sua possessione ulterius turbet, ac de-
 inde qualiter ipse Stiertz supremæ huic Cæsareæ Ordinationi humillimè
 paruerit, infra terminum duorum mensium à notificatione præsentium
 eam certò obedientissimè doceat, quò certius in eventum sua Majestas Cæsarea
 contra eandem mediantibus severioribus Ordinationibus juxtâ præscrip-
 tum Constitutionum Imperialium sine mora procedet. Nihilominus eidem
 Stiertz liberum relinquitur, quatenûs sua gravamina, quæ contrà Optio-
 nem Precistæ se forsàn habere putat, si præviè huic supremæ Ordinationi
 Cæsareæ decenter paruerit, coram sua Majestate Cæsarea obedientissimè
 exponere, desuperque justissimas ejusdem Ordinationes Cæsareas expe-
 tere. Signatum Viennæ sub impressione Secreti suæ Majestatis Cæsarea
 Sigilli 11ma Octobris 1760.

COLLOREDO

(L:S:
Cæs.)

Matth. Wilh. de Haan *mpp.*

§. 7 Mandatum contrà D. Professore[m] van Meer eodem die, men-
 se, & Anno latum ejusdem est tenoris, ideoque ejus descriptio hic omit-
 titur. Id tamen hic tangi meretur, Mandatorum horum contenta sat evi-
 denter evincere: & quod Augustissimus Imperator Professoribus contrà
 Precistas Romam super his Præbendis primæ gratiæ recurrentibus hunc
 eorum recursum summa cum indignatione exprobraverit, & quod Idem
 Augustissimus Imperator unâ simul in iisdem Mandatis clementissimè de-
 claraverit: se solum & unum in causa Reservati Imperialis Primariarum

Precam esse Judicem competentem. Et quod Professores non tantum debuerint ex possessione cepta exire, sed praeterea de desistentia à recurſu romano docere, antequam in Consilio Imperiali Aulico ad audientiam fuerint admissi. Et hinc licet olim hic & nunc Cause Precum Caesarearum in Curia Romanâ fuerint decisae, attamen impraesens recurſus iste romanus ab Imperatoribus permitti non solet, prout desuper recens denud adest praesudicium hic, Coloniae in Collegiata & Archi Diaconali Ecclesia ad S. Cunibertum ratione litis super Canonatu per Precitam Caesaream ibidem optato coram Consilio Imperiali Aulico pendentis.

§. 8. Inter Sententias favore Universitatis contra Precitas per Consilium Imperiale Aulicum pronuntiatas prima sequentis est tenoris =

Jovis 4^{ta} Julii 1765.

de Buschman contra Stiertz, prout quoque Rectorem & Provisores Universitatis Coloniae puncto Primariarum Precum.

Publicatur Resolutio Caesarea.

Sua Majestas Caesarea obedientissimi sui Consilii Imperialis Aulici Votum humillimum gratiosissime approbavit; vi cujus

1^{mo} Communicentur Exceptiones à Parte impetrata contra Decretum Caesareum de 11^{ma} Octobris 1760. sub praesentato 17. Octobris 1761. exhibita Parti impetranti ad notitiam.

2^{do} Quoad recurſum super Praebenda vigore Precum Primariarum optata ad Curiam romanam ex parte Martini Stiertz sumptum rejectis Exceptionibus in contrarium obnotis Decretum Caesareum sub 11^{ma} Octobris 1760, emanatum immutabiliter manet vigorosum.

3^{to} Precitae Caesareo de Buschman cum revocatione Mandati Caesarei quoad hunc passum lati, & cum rejectione motivorum ex parte ipsius capropter adductorum hisce injungitur: quatenus à Praebenda per ipsum vi Precum Primariarum in Collegiata ad S. Ursulam Coloniae optata *ob defectum qualitatis professoris actu legentis eidem per Concessionem Caesareas annexae abſtineat, nec non fructus & redditus ex eadem huc usque perceptos Impetrato restituat.*

4^{to} Partibus hinc inde liberum relinquitur, quatenus causam in puncto Impetrationum ex *Canone Execrabilis* ratione Praebendarum praehabitarum in Curia romana indecisam pendentem, prorsus & omnino separatam, ac plane Ecclesiasticam, proindeque huc non pertinentem, atque Reservatum Caesareum Primariarum Precum nullatenus tangentem ibidem hinc inde terminent. Ad haec

5^{to} Precitae Caesareo de Buschman summâ cum indignatione exprobratur: quod cum eadem in praesudicium Jurisdictionis Caesareae praesentem, Reservatum Primariarum Precum concernentem causam commiscere, desuperque coram Tribunalibus romanis illegalem decisionem promovere ausus fuerit, hoc serio cum mandato: quatenus sub irremissibili severiore poena Caesareâ non tantum indilate ab illicito hujusmodi recurſu desistat,

sed

sed quoque super renunciatione recursus ad Tribunalia romana quoad hunc punctum sumpti realiter facta mediante legali testimonio infra terminum duorum mensium doceat.

6^{to} Hæcque omnia notificentur tam Precistæ Cæsareo de Buschman, quam Martino Stiertz per Decreta.

7^{mo} Cum horum notificatione fiat quoque Decretum ad Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ ad S. Ursulam Coloniae hoc addito: quatenus Idem Precistam Cæsareum de Buschman in vim Supremi Mandati Cæsarei in possessionem fructiferam Præbendæ primæ gratiæ immissum ex eadem exmittat, &, qualiter ipsam fuerit cefectuatum, in termino duorum mensium humillimè remonstret.

8^{vo} Cum parili notificatione rescribatur Universitati Coloniae: qualiter eadem ex latis Decretis Cæsareis perspectura sit, quod sua Majestas Cæsarea ad remonstraciones tam ex parte dictæ Universitatis, quam ex parte Impetrati Professoris Martini Stiertz exhibitas hanc controversam causam præbendam decidere gratiosissimè dignata fuerit; quibus altissimè fata sua Majestas Cæsarea, prætereundo cætera omnia hinc non spectantia ulteriora petita hanc causam simpliciter terminatam esse vellet.

Matth. Wilh. de Haan.

(L. S.)
(Cæs.)

§. 9. Sententia adversus Precistam Broel eadem 4^{ta} Julii 1765. publicata ferè per totum ejusdem est tenoris. . . Ex §§. 1 & 2. harum sententiarum palam est: quod (licet Professores in Consilio Imperiali Aulico varias adduxissent rationes, quare recursum suum in hac Precum causa sumpsissent Romam. quodque ipsi usque aded Precistæ ibidem comparuissent, & novam Provisionem Apostolicam super Præbendis vi Precum Cæsarearum optatis impetrassent) tamen Sacra Cæsarea Majestas rejectis his exceptionibus firmissimè inhæserit mandato de desistendo à cursu Romano die 11^{ma} Octobris 1760 lato. . . Quantum verò spectat ad contenta reliqua istius Mandati puncto deoccupandi Præbendas primæ gratiæ contrà Professores latis, illud idem Mandatum per §. 3. hujus Sententiæ specialiter revocatur, unaque simul Precistis injungitur, ut à Præbendis professoralibus, vi Precum optatis, abstineant, nec non fructus exindè perceptos Professoribus restituant; præsertim, quia Præbendæ primæ gratiæ Universitati pro Professoribus actu legentibus essent annexæ. Ulteriùs ex §§. 4. & 5. istius Sententiæ contra D. de Buschman latæ omninò notandum venit, quod (dum varii Impetratores Præbendas per fatum D. antè occupatam Præbendam professoralem Ursulanam præhabitas eà de causa à Summo Pontifice impetrassent, quia sustinebant: illum non esse munitum legitima dispensatione super Præbendarum incompatibilitate, desuperque lis Romæ hinc indè fuisset contestata, unaque cum ista lite

D. de Buschman commiscuisset controversiam in Consilio Imperiali Au-
 lico pendentem, inauditâque Universitate Coloniensi sua Jura in Consilio
 Imperiali Aulico tuente, & nullum nec directum, nec indirectum inter-
 esse in causa Impetrationum sumente Rotalem sub- & ob- ripuisset Deci-
 sionem (quasi Indulta Apostolica huic Universitati quoad Præbendas pri-
 mæ gratiæ concessa non ampliùs essent in usu) Sacra Cæsarea Majestas
 quidem Impetratoribus, & Dno de Buschman liberum reliquerit, quate-
 nùs causam Impetrationum ex Canone Execrabilis puncto Præbendarum
 præhabitarum in Curia romana pendentem, utpotè prorsus separatam,
 ac planè Ecclesiasticam, nec Reservatum Cæsareum Primariarum Precum
 ullatendè tangentem in Curia Romana prosequi, & terminare possent;
 ast unà simul Dno Precistæ Cæsareo de Buschman summâ cum indigna-
 tionè exprobraverit: quod is in præjudicium Jurisdictionis Cæsareæ con-
 troversiam, Reservatum Primariarum Precum concernentem cum causa
 Impetrationum commiscere, desuperque coràm Tribunalibus romanis il-
 legalem Decisionem promovere ausus fuerit: hoc serio cum mandato,
 prout latius in Sententia prærelata continetur, ut indilatè ab illicito
 ejusmodi recursu romano desisteret, eidemque & renunciaret, & de re-
 nunciatione hac infra terminum duorum mensium legaliter doceret...
 Hic terminus pariter præfigitur in §. 7. Sententiæ Illustri Capitulo S. Ur-
 sulae ad effectum exmittendi Dnum de Buschman ex Præbenda profes-
 soriali, desuperque coràm Sacra Cæsareâ Majestate docendi. Et licet in
 §. finali hujus Resolutionis Cæsareæ prætereantur ea, quæ ulterius ex
 parte Universitatis quoad reliquas Præbendas, præcipuè quoad illas Ter-
 tiæ Gratiæ fuerant proposita, attamen per hoc nequaquam excluduntur
 Jura Universitati quoad istas Præbendas adversus Precistas Cæsareos com-
 petentia, verùm idèò quoad has Præbendas est facta præteritio, quia
 desuper his non erat contestata, sed ista litis contestatio ad Præbendas
 primæ gratiæ per Precistas Cæsareos limitata fuerat, eò quod ipsi has,
 & non Præbendas tertie gratiæ optassent.

§. 10. Non acquiescentes justissimis hisce Sententiis Precistæ Cæsa-
 rei arripuerunt anchoram remedii restitutionis in integrum, non enim
 aderat Judex superior, ad quem appellare poterant. Ast istud remedium
 optato pariter caruit effectu, eò quod nova, quæ pro obtinenda restitu-
 tione in integrum adducta fuerunt, nequaquam iusti inventa fuere pon-
 deris, & hinc prodierunt cum exactissima causæ cognitione sequentes
Sententiæ priorum sententiarum confirmatoriæ.

Mercurii 28va Maji 1766.

De Buschman contra Stiertz, prout etiam Rectorem & Provisores Uni-
 versitatis Coloniæ puncto Primariarum Precum, nunc restitutionis in in-
 tegrum, sive Implorantis Mandatarius de Bissing sub Præsente 8va Apri-
 lis nup. exhibet humillimum Libellum resitutorium cum petito, pro clem-

men-

mentissimâ restitutione in integrum adversus Resolutionem Cæsaream de 4^{ta} Julii anni præt. cum Adjunctis sub N. 1. usque 35. cum ultimo Concluso in triplo.

Idem sub Præsentato 29^{na} Aprilis nup. exhibendo ad libellum restitutorium adhuc sub N. 28. spectans Adjunctum, supplicat humillimè pro clementissima restitutione in integrum retropetita, & Adjuncto sub N. 28., & ultimo Concluso in triplo.

Econtrà Impetrati Mandatarius de Klerff sub Præsentato 8^{va} Aprilis nuperi accusando lapsum termini supplicat humillimè pro clementissimè nuac comminato modo procedendo, cum ultimo Concluso.

1^{mo} Petita restitutio in integrum ob defectum novorum relevantiuu denegatur.

2^{do} Detur de Buschman ex officio terminus duorum mensium in finem, ut juxtâ præscriptum Decreti Cæsarei de 4^{ta} Julii anni præteriti, ejusdemque membri tertii, & quarti tam Impetrato perceptos hujus Præbendæ fructus, & redditus restituat, quàm quoque ut remonstrationem justificatorialibus munitam super exhibita coràm judiciis romanis renunciatione præsentis Causæ cum Supremo Reservato Cæsareo connexæ. ac cum processu ex Canone Execrabilismoto incompetenter permixtæ cum comminatione arresti quoad univèrsa sua temporalia producat.

3^{to} Rescribatur Rectori, & Provisoribus Universitatis Coloniae: suam Majestatem Cæsaream ex quibusdam ab Impetrante libello suo restitutorio appositis, ac ex Annalibus Universitatis desumptis Adjunctis intellexisse: qualiter in Sæculo præterito diversis vicibus Præbendæ *primæ gratiæ* Universitati ad promovendas Scientias assignatæ contra clarum tenorem Bullarum Apostolicarum, nec non Confirmationum Cæsarearum desuper gratiosissimè concessarum verosimiliter ad favorem Provisorum Universitatis tunc existentium, vel ex aliis sinistris intentionibus, adjuvante, vel saltem illicitum in modum connivente Universitate, aliis, quàm Professoribus actu docentibus fuerint collatæ. Ad hæc altissimè factam suam Majestatem Cæsaream ex his ulterius perspectum habuisse, qualiter in præteritis saltem temporibus aliqui horum Professorum, quamprimum illis ejusmodi Præbenda fuerit collata, se te Doctiori eisdem incumbenti omnimodè subtraxissent, & Professuram eò usque observatam deseruissent.

Ex quo autem Sux Majestatis Cæsareæ TAM QUA SUPREMI STUDIORUM PER GERMANIAM PROTECTORIS, QUAM INTUITU ALTISSIMARUM CONFIRMATIONUM CÆSAREARUM VEL MAXIME INTERESSET, Eademque Majestas Cæsareæ ad id reflecti vellet, ut hæ Præbendæ *primæ gratiæ* nullis. nisi juxta præscriptum confirmatarum Bullarum Apostolicarum qualificatis Professoribus actu docentibus conferrentur.

Eapropter Sua Majestas Cæsareæ Rectori, & Provisoribus Universitatis
gra-

gratiosissimè mandaret: quatenus ista Præbendæ in futurum juxtâ tenorem Bullarum Apostolicarum, desuperque obtentorum Confirmationum Cæsarearum nullis, sub quocunque demùm prætextu esse possit, quàm Professoribus actu docentibus, ac legentibus concederentur; nec minùs contraventio, siqua præter expectationem suo tempore desuper forsan eveniret, altissimæ satæ Suae Majestati Cæsareæ pro ejusmodi abusum, ac sinistrarum intentionum cassatione ab uno alterove exponi, insimulque ad id attendi deberet, ut illi, qui hujusmodi Præbendas obtinuerint, Doctionem, & Lectionem iisdem incumbentem, quousque corporis vires eisdem hoc onus subire permiserint, suæ obligationi conformiter supportarent.

Matth. Wilh. de Haan *ppria*.

§. II. Superfedeo adducere tenorem Sententiæ confirmatoriæ contra Precissam Broel eadem die 28. Maji 1766. latæ, quia quoad passus hunc facientes per omnia concordat cum Sententiâ præinserta. Labet jam videre, quid speciali notâ dignum veniat ex mox allata sententiâ in iudicatum prolapsâ, & contra D. de Buschman publicatâ. Et statim in oculos incurrit, quod quemadmodum ex primo confirmatoriæ hujus sententiæ contra D. de Buschman latæ membro eidem quâ Precissæ Cæsareæ denegetur in integrum restitutio, eò quod nova hunc in finem adducta sint reperta minus habentia; sic in 2do istius membro iterùm serio eidem præcipiatur paritio sententiæ anterioris tam quoad restituendos Professori fructus, quàm quoad docendum de renunciatione liti romanæ factâ, idque sub comminatione arresti quoad temporalia Precissæ competentia. Undè infertur, quod Augustissimi Imperatores pro medio ad compellendum Clericos, parere mandatis Cæsareis renitentes, opportuno adhibeant Temporalium ad illos spectantium sequestrationem. Quisquis deindè §. 3. istius Sententiæ paulò attentius inspexerit, is sanè vel fugitivo etiam oculo deprehendet, hunc Sphum esse notatu dignissimum, vult namque Sua Sacra Majestas Cæsarea, ut Bullæ Apostolicæ quoad Præbendas *Primæ gratiæ* ad favorem Universitatis concessæ, ac Authoritate Cæsarea roboratæ in omnibus & per omnia inviolabiliter observentur. Vult & ut nulli alteri, quàm Professori actu legenti, sit, sub quocunque prætextu velit, Præbendæ professorales *Primæ gratiæ* conferantur, & ut hic Professor actu legens tandiù in dandis Lectionibus continet, quon diu vires corporis id ipsum patiantur. Vult per consequens Augustissimus Imperator, ut omnes illi, qui non sunt Professores actu docentes, à Præbendis professoralibus excludantur, utque actualiter docentes & Præbendam professoralem obtinentes pergant eò usque in actuali Doctione, quousque vires corporis hoc onus subire eisdem permittant. Hæc Resolutio Cæsarea non indiget Interprete, quia est undique clara, & hinc in Thesi pro bono Universitatis, ac generalis Studii Coloniensis erit, & ab ipsâ Universitate *in nominando* Professores actu docentes ad Præbendas

primæ

primæ gratiæ, & quoque ab ipsis Professoribus nominatis *indocendo* sanctè ac perpetuò observanda. Et hoc toties, quoties justa non adest causa, ob quam aliter procedatur. Ast quid si hujusmodi relevans causa subesset, quid siquis pro præterito antè obtentam ullam Præbendam professoralem jamtùm per annos plurimos publicè aut in Gymnasiis, aut in aliarum Facultatum Cathedris legisset, & aut ob vires attritas, aut aliam legalem ob causam à legendo cessasset, an illi non posset provideri de Præbenda dudùm pro præmio laboris promeritâ? profectò non possem adduci ut credam, quod mens Summi Pontificis, atque Augustissimi Imperatoris unquam fuerit, hunc bene meritum Professore à Præmio dudùm debito excludendi, aut etiam illum Professore, qui modò per 10., 20., & plures annos in pulvere Scholastico canos sibi accersivit capillos, obligandi ad hoc, ut obtentâ tandem pro honorario diuturni aded laboris Præbendâ adhuc ultra in actuali Doctrione debeat continuare, præsertim si non urgeat necessitas, sed adsint Professores sat multi, qui ejus vices facillè suppleant.

§. 12. Restat quoad Præbendas *Primæ gratiæ* adhuc illa, quæ contra D. Precistam Broel, & ejus prætensum Resignatarium D. Herriger puncto resignatæ nulliter Præbendæ *Primæ gratiæ* ad S. Cæciliam prodiit, Sententia. =

Mercurii 27. Novembris 1765.

Broel contra Meer puncto Præbendæ, sive Impetrati Mandatarius de Klerff sub Præsentato 22. Octobris nup. docendo factam insinuationem Exceptionum supplicat humillimè pro clementissimè ordinanda positione ad Acta cum Adjunctis sub Sig. ☉. & ultimo Concluso.

Idem sub Præsentato 31. Octobris nup. docet de facta insinuatione hujatis Mandati procuratorii, & supplicat pro clementissimè decernenda Documenti positione ad Acta cum Adjuncto sub signo ☉ & ultimo Concluso.

Idem sub Præsentato 12. hujus, docendo factam insinuationem clementissimi Conclusi, nec non Decreti Cæsarei absque secuta partitione supplicat humillimè pro clementissimè tam Capitulum ad S. Cæciliam, quam Partem Impetrantem, ac loco illius, intrusum Herriger ad satisfaciendum Concluso, & Decreto Cæsareo per pœnalem ordinationem indilate adigendo, eumque in finem ipsis brevem terminum præfigendo, nec non injungendo, ut intrâ illum de præstita partitione humillimè doceant. Cum Adjunctis sub N. I. usque II. inclusivè, nec non ultimo Concluso.

Idem sub Præsentato 22. hujus exhibet humillimam remonstracionem, & fundatam refutationem partitionis à Capitulo ad S. Cæciliam fieri volitæ, cum petito pro clementissimè rejectâ prætensa partitione, Capitulo ad S. Cæciliam immisionem Partis impetratæ in Præbendam professoralem sub gravi pœna quantocius demandando. Cum ultimo concluso in duplo.

In eadem intervenientis Theodori Herriger de rato & mandato cavens Mandatarius de Middelburg sub Præsentato 21. hujus exhibet humillimam interventionalem remonstracionem ad clementissimam Resolutionem Cæsaream de 4. Julii anni curr. cum petito pro clementissimè denegandâ manutentioniâ ex parte Conradi Meersorfan petendâ, & manutenedo Interventionem in possessione Canoniciatus & Præbendæ *Primæ gratiæ* in sequelam resignationis à Precista Bræel in favorem suum factæ, & à Sanctissimo Domino nostro Pontifice admittæ Capitulariter captâ, ac per annum & ultra continuatâ, cum Adjunctis sub N. 1. usque 18. inclus. ac ultimo Concluso in duplo.

In eadem Domina Abbâtissa & Capitulares Perillustres Capituli ad S. Cæciliam Coloniz sub dato 27. Septembris, & prius 14. Octobris nuper exhibita per eundem à Middelburg submississima Informatio loco obedientissimæ debitissimæque Paritionis ad clementissimum Decretum Cæsareum de 4. Julii a. c. cum Adjunctis sub N. 1. 2. & 3.

1^{mo} Ponatur Edoctio infinuati Mandati procuratorii Partis impetratæ ad Acta.

2^{do} *Cum rejectione infundatæ Interventionis, nec non contentorum in eadem partim irrelevantium, partim animadversione dignorum petitorum fiat Decretum contra Theodorum Herriger ad hoc, ut à Præbendâ Primæ gratiæ in Collegiata Ecclesia ad S. Cæciliam per Resignationem Precistæ Cæsarei Bræel obtentâ abstineat, fructus & redditus à tempore captæ residentiæ Professori Conrado van Meer ab Universitatæ Coloniz nominato restituat, eundemque in futura possessionis captione hujus Præbendæ aliâs litigiosæ non amplius impediât, nec quoque præsumat, banc, Altissimum Reservatum Cæsareum Primariarum Precum concernentem, causam ad Sedem Pontificiam trahere, quodque in contrarium eventum contra eundem mediantibus avctioribus Ordinationibus Cæsareis procedendum foret; prout & idem de submississimo, obedientissimoque Cæsareâ hujus Ordinationis implemento altissimè factæ Majestati Cæsareæ humillimam paritionis suæ remonstracionem in termino duorum mensium exhibere deberet.*

3^{to} *Cum hujus notificatione fiat Decretum ad Abbâtissam & Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ ad S. Cæciliam Coloniz hoc addito: Quod Theodorum Herriger per factam resignationem Precistæ Cæsarei Bræel in possessionem Præbendæ in hac Collegiata Ecclesia intrusum ex eadem exmittere, ac loco illius Conrado van Meer realem possessionem impertiri, nec non qualiter hæc effectuata fuerint, coràm S. Cæsareâ Majestate in termino duorum mensium humillimè remonstrare debeat.*

Matth. Wilh. de Haan *mppria.*

§. 13. 2^{do} hujus Sententiæ membrum probat: quod Precista Bræel lite pendente attentaverit, Præbendam professoralem *Primæ gratiæ* ad S. Cæciliam favore Dni Herriger autoritate Apostolica quidem resignare;
Act

Ast quia subticuerat : hanc Præbendam juxtà expressum Indulti Apostolici tenorem non esse resignabilem , quia pariter subticuerat : jam tùm 4^{ta} Julii 1765. latam fuisse ab Augustissimo Imperatore Sententiam , virtute cujus hæc Præbenda fuerat declarata Universitati Coloniensi pro Professore actu docente inseparabiliter perpetuò annexa, idè Resignatario isti demandatur, ut ab ista Præbenda abstineat, fructusque ex eadem perceptos Professori van Meer restituat, eumque à capiendâ Præbendæ hujus possessione non impediat. His consequens est : quod quoad Præbendas professorales *Primæ gratiæ* nec *Resignationes*, nec *Permutationes*, nec *gratiosæ Surrogationes* in casu exortarum litium, & præmortuorum Collitigantium possint habere locum, nam hi actus nec cum Indultis Apostolicis, nec etiam cum Concessionibus Cæsareis sunt compatibles, benè attento, quod per eosdem annexio Præbendarum istarum Universitati facta, & per Rem judicatam Cæsaream canonizata suo frustraretur effectu, & Rector ac Provisores à nominatione subjecti qualificati excluderentur, sicque Professores actu docentes in perpetuum arceri possent à Præbendis *Primæ gratiæ*, si non qualificati cum Professoribus qualificatis ex capite vel resignationis, vel permutationis, vel incompatibilitatis, aut alio ex Capite super hujusmodi Præbendis litigarent, & Professor qualificatus autem finitam moreretur. Proindè nec inqualificati, nec etiam ii, qui forsitan possent nominari ad istas Præbendas *Primæ gratiæ* poterunt per actus præexpressos ad illas pervenire, eò quod nequidem Professor qualificatus tales Præbendas possit obtinere, nisi ad easdem juxta Indultum Apostolicum, & Rem judicatam Cæsaream fuerit legitimè nominatus.

§. 14. Notavi jam superiùs ex §. 5. Rei judicatæ Cæsareæ de 4. Julii 1765. quod Dnus de Buschunan contra Universitatem Coloniensem nec citatam, nec in causa Impetrationum ullo modo interessatam, nihilominùs ad sinistra narrata sub-ac ob-ripuerit in S. Rotâ præjudicalem quandam declarationem : quasi Indulta Apostolica dictæ Universitati quoad Præbendas *Primæ gratiæ* concessa non amplius essent in usu, quodque hunc Precistæ recursum Romam super Præbenda *Primæ gratiæ* factum æquè ac declarationem ibidem obtentam Augustissimus Imperator cum indignatione rejecerit. Oportet nunc hic addere, quod quoque Ipsamet S. Rota de rei veritate meliùs informata quamprimùm juxta laudabilem suum morem à suâ præjudiciali Resolutione in solennissimâ formâ recesserit in Decisionibus Rotalibus quoad Clausulas concernentes hic subsequentiibus.

R. P. D. CORNELIO.

Coloniensis Canonicatûs Ecclesiæ Cathedralis.

Linnæ 14. Januarii 1765.

CLAUSULA CONCERNENS.

Quamobrem quò libentius convenerunt DD. mei cum novissimâ meâ in hac causa Decisione, quæ consultiùs abstinuit ab indagine qualitatis

controverſi Canonicaſ Collegiatæ Eccleſiæ S. Urfulæ, æquè ac ab Examine Indultorum, quæ favere poſſunt Univerſitati Coloniae, eò preſſitè in votis habuerunt, ut in hac à me impræſentiarum evulgandâ Decifione nedum omnes prædictæ intempèſtivæ declinarentur quæſtiones; *Verùm inſuper expreſſè ac ſpecificè dec'aretur: Sac. hoc noſtrum Tribunal in hac cauſâ nunquàm voluiſſe, aut intellexiſſe quidquam contrâ eorundem Canonicaſ qualitates, ac Univerſitatis Indulta, quæ ſarta, tectaſque eſſe juſſit, definire.* Cum ſolemne ſemper Eidem fuerit, ſe ab inutilibus quæſtionibus, maximè verò Tertiiſ non citatiſ præjudiciũ aliquandò illaturis, perpetuò abſtinere. Et ità Partibus ſtrenuè dimicantibus juſ redditum fuit.

R. P. D. CORNELIO.

Coloniendiſ Canonicaſ Eccleſiæ S. Gereoniſ,
Lunæ 14. Januarii 1765.

CLAUSULA CONCERNENS.

Denique cum in Decifione præcedentiſ Inſtantiæ ſuper hoc eodem Canonicaſ S. Gereoniſ coràm R. P. D. meo Ratta in diſcrimen vocatuſ fuerit uſuſ & obſervantiã Conſtitutionum Bonifacii IX., & Alexandri VI., qui cum aliis Anteceſſoribus, & Succeſſoribus Pontificibus diverſa conceſſerunt Indulta Univerſitati Coloniendiſ cum reſervatione Canonicaſ favore & ergà Scientiarum inibi Profeſſores & Magiſtros. Idcirco ne ulum exindè irrogatum dici valeat Univerſitati, Profeſſoribus, eorundem Indultis detrimentum, hic quoque expreſſè declaratum voluerunt: *Quod quidquid ibidem hac de re præter neceſſitatẽ enunciatum firmatumque fuit, haberi debeat, acſi dictum non fuiſſet, nec unquàm de earundem Conſtitutionum uſu & Obſervantiã fuiſſet dubitatum;* cum alienum ſemper à ſenſu & mente ſacri hujus Tribunaliſ fuerit, extraneas & alienas inopportunè aſſumere quæſtiones, quæ Tertiiſ nec citatiſ, nec in cauſâ intereſſentiſ bus quandoque præjudiciũ irrogare valent. Et ità utrâque &c.

§. 15. Habet itaque Univerſitas Generaliſ Studii Coloniendiſ & Reſ judicataſ Cæſareas, vigore quarum Præbendæ *Primæ gratiæ* eidem Univerſitati declarantur & annexæ, & nulli alteri, quàm Profeſſori *actu legenti* debita; habet eadem Univerſitas ſuper hiſ eiſdem *Primæ gratiæ* Præbendis ſolemniffimas Sacræ Rotæ romanæ Declarationes, juxtà quas & Canonicaſ *primæ gratiæ* qualitates, & Univerſitatis Indulta tam Bonifacii IX., quam Alexandri VI., aliorumque & Anteceſſorum, & Succeſſorum Summorum Pontificum jubentur eſſe ſarta, tectaſque. Nec in hoc ſubſiſtit ſacra Rota, ſed & una ſimul expreſſè adjecit: quod quidquid in anterioribus Decifionibus hac de re in contrarium enunciatum firmatumque fuiſſet, haberi debeat, acſi dictum non fuiſſet, nec unquàm de earundem Conſtitutionum Apoſtolicarum pro Univerſitate ſtantiũ uſu, & obſervantiã fuiſſet dubitatum.... Hæc ſuperlativè ſuſtineo ſufficere, ad Præbendas *Primæ gratiæ* & à Precibus Cæſareis, & ab Exſpectatiſ Apoſto-

Apostolicis, & à Resignationibus ac Permutationibus, pariterque à Surrogationibus gratiosis ex Regulâ Colligantium, aliisque viis Universitati, ac Professoribus actu docentibus noctivis, perpetuamque harum Præbendarum incorporationem, debitamque Rectori ac Provisoribus ad illas Nominationem subvertentibus vindicandas.

§. 16. Nec à me impetrare possum, ut quoad PRÆBENDAS SECUNDÆ GRATIÆ per Eugenium Papam IV. Anno 1437. Universitati Coloniensi donatas, insimulque per Nicolaum V. successivè 1451. ac 1453. firmatas in contrariam Conclusionem abeam. Video enim si non omnes, saltem principales, quas pro Præbendis *primæ gratiæ* adduxi, rationes, aliasque plures quoque pro *secundæ gratiæ* Præbendis militare. Militat imprimis ipsummet Indultum Bonifacii IX. quoad Præbendas *primæ gratiæ* Universitati datum: quia Eugenius IV. hoc Indultum Bonifacianum in suo Indulto pro Præbendis *secundæ gratiæ* impertito posuit pro basi & fundamento; Etenim *similis Edicto Bonifaciano Constitutionis* Autoritate Apostolica statuit: Quod ii, qui volunt Præbendas *secundæ gratiæ* obtinere, quoque debeant esse Doctores actu legentes, quodque teneantur continuè legere in illa Facultate, pro qua per Rectorem & Provifores ad legendum sunt deputati; & casu quo inattentâ monitione cessaverint à legendo per annum, quod tunc Præbendis privati sint, & hæ vacent eo ipso: Indultum Eugeniæ pro Præbendis *secundæ gratiæ* Anno 1451: confirmavit Nicolaus V., & unâ simul inhæsit quoad Præbendas *secundæ gratiæ* Indulto Bonifaciano super Præbendis *primæ gratiæ* largito, ac ulterius adjecit = *Et quod singulæ Personæ, quæ aliquam ex secundæ gratiæ Præbendis obtinuerint, debeant esse graduate in illa Facultate, pro quâ ad legendum fuerunt deputatæ, Et quod teneantur continuè legere, quodque per annum cessantes à Lectione sine causa, quam Rector, Et Provifores non duxerint approbandam, sint privati istâ Præbendâ, illaque vacet ipso Jure...* Verum quidem est: quod Romæ, Civitatis Coloniensis Capitula sese Indultistam Eugenii IV., quàm Nicolai V. eâ de causâ opposuerint, quod ipsis quoad has Præbendas *secundæ gratiæ* Alternativa mensium voluisset auferri, & Nominatio ad istas Præbendas Proviforibus laicis concedi... Ast eo inattento Indulta Eugenii IV., & Nicolai V. pro Præbendis *secundæ gratiæ* quoad *Substantiam* manserunt in suo vigore, ac solùm & unicè Summus Pontifex Nicolaus V. favore Capitulorum ordinavit, ut ipsa Capitula (in quocunque demum mense vacarent hæ Præbendæ *secundæ gratiæ*) possent Subjecta ad illas juxtâ tenorem Indultorum Apostolicorum qualificata nominare: hocque in puncto Idem Nicolaus V. (qui paulò antè per Concordata Germaniæ firmaverat Alternativam mensium, & sex menses Apostolicos sibi reservaverat) opere ipso quoad hanc Alternativam mensium suo juri ad utilitatem Capitulorum quoad *secundæ gratiæ* Præbendas

renunciavit. . . Ast illud eâ lege factum fuit, ut semper, quoties unam ex istis Præbendis *secundæ gratiæ* contingeret vacare, Capitula irremissibiliter tenerentur *Personas actualiter legentes, aut ad actualiter legendum qualificatus* ad has *secundæ gratiæ* Præbendas sub pœnâ nullitatis nominare, prout Summus Pontifex rotundè exprimit in sequentibus sui Indulti de Anno 1453. verbis = *Volumus autem, quod ipsi dictos Canonicatus & Præbendas, quoties vacaverint, nulli conferre, aut de illis providere possint, nisi de dictâ Universitate & graduatus. & qualificatus existat, MODO, ET SUB ONERE in dictis Literis expressis: Et si secus fecerint, seu Provisionem hujusmodi ultra mensem post habitam de vacatione notitiam distulerint, eâ vice Jur nominandi ad illas Personam idoneam ad Provifores, quamvis Laici sint, & Rectorem ipso facto censeatur devolutum. Quodque nullus aliquem eorundem Canonicatum affectus, si senio, vel alia corporali infirmitate gravatus suam continuare Lectionem cessaverit, propterea dicto Canonicatu privatus sit, aut privari possit = Ergò quisquis est corpore sanus, is æquè in Præbendis *secundæ*, ac in Præbendis *primæ gratiæ* continuò legere est obligatus. Ergò non sufficit, nudum in aliquâ Universitatis Facultate habere gradum, sed unâ simul quoque requiritur actualis doctio in Præbendis *secundæ gratiæ*. Doctioe hac cessante Indultum Apostolicum & Eugenii IV., & Nicolai V. istos Præbendatos declarat *ipso Jure* Præbendis *secundæ gratiæ* privatos, solo casu excepto, si ob senium, & debilitatas vires à doctioe actuali cessetur. Has *secundæ gratiæ* Præbendas æquè laudavit Imperator Fridericus III., ac illas *primæ gratiæ*, dum utrasque Universitati Coloniensi pro suis Professoribus competere declaravit, quandò 1474. Summum pontificem Sixtum IV. rogavit, ut sicut duæ Præbendæ Metropolitanæ, una, *primæ*, altera *secundæ gratiæ*, non nisi Graduatis in Universitate Coloniensi essent debitàe: ità quoque statueret, ut reliquæ *sex* Præbendæ Presbyterales Metropolitanæ non nisi Graduatis in aliquâ approbatâ Universitate posthac conferri possent. Id quod dum Sixtus IV. ità imposterum observari debere ordinavit, dumque istas *sex* Præbendas Metropolitanas per suum Indultum de Anno 1474. à quibusvis gratiis expectativis, aliisque reservationibus per expressum exemit: profectò idem de Præbendis *secundæ gratiæ* statui, illæque à quibusvis Expectativis, ac Precibus Cæsareis liberæ declarari debent, quia cæteroquin non verificaretur, quod in quocunque mense ad collationem Capituli spectarent, paritèrque quod Præbendati perpetuò actualiter legere ob Præbendas *secundæ gratiæ* tenerentur.*

§. 17. Neque ullam invenio fundatam rationem, ob quam Rma Capitula possint se reputare qualificata ad Præbendas *secundæ gratiæ* tali conferendas, qui *non est actu Professor*, nec se ad actualiter legendum qualificat; nam eâ lege Alternativam mensium, cæteroquin Pontifici juxta

Con-

Concordata Germaniæ competentem, à Nicolao V. quoad Præbendas *secundæ gratiæ* sibi habent concessam, ut has Præbendas Graduatis, ac perpetuò, & eò usque (donec vires corporis passiantur) lecturis conferre teneantur. Dumque Summi Pontifices suâ ex parte hanc Alternativæ mensium concessionem sanctè servant, & Capitula collationem Præbendarum *secundæ gratiæ* in quocunque mense, etiam Apostolico, pacificè exercent; Ideò sanè ipsa quoque Capitula liberali hac, ast limitatâ donatione fruentes suâ ex parte obligata erunt, Legem ipsis in Indulto Nicolai V. quoad Præbendas *secundæ gratiæ* graduatis *actualiter legentibus* conferendas dictam exactè eò usque adimplere, donec ab illâ per concessionem Apostolicam posteriorem fuerint exempta, de quâ Exemptione dum in Statutis Universitatis nullum invenio vestigium, hinc Indulto Nicolai V. erit firmiter infistendum: & firmissimè quidem, eò quod Capitula istius Indulti certam notitiam habentia, illudque in suis Archivis pro probanda Alternativâ mensium Sedi Apostolicæ alioquin quoad collationem Præbendarum *secundæ gratiæ* competentium sedulò asservantia non possint se contra illud tueri ullâ in contrarium Observantiâ, quæ absque eo quâ tendens contra Bonum publicum Studiorum generalium promero Abusu reputari, & tam per Summos Pontifices, quàm per Augustissimos Imperatores cassari deberet: Eò magis, quia sat magnus in Universitate Colonienfi adest Professorum actu docentium, & præmium laboris expectantium numerus, quibus præbendæ *secundæ gratiæ* possunt conferri. Et ideò Capitula non possunt conqueri de eo, quali facultas conferendi Præbendas *secundæ gratiæ* esset nimis coarctata, quæ coarctatio absque eo abundè compensatur per hoc: quod Summi Pontifices quoad conferendas *secundæ gratiæ* Præbendas renunciaverint favore Capitulum Alternativæ mensium, quam cæteròquin de jure, & ex Concordatis Germaniæ habebant ad conferendas *secundæ gratiæ* Præbendas in mensibus Apostolicis vacantes. *Et quid vetaret, hos sex menses Apostolicos quoad Præbendas secundæ gratiæ pro Bono Generalis Studii Colonienfis per Summos Pontifices Universitati, etiam quoad nominationem pro Professoribus actu docentibus concedi, casu quo Capitula facerent difficultatem, Leges in Indulto Nicolai V. de Anno 1453. dictas adimplendi, & istas Præbendas dictis Professoribus conferendi?*

Ad extremum pro Præbendis *Secundæ gratiæ* vindicandis tam à Precibus Cæsareis, quàm ab Expectativis Apostolicis, tamque à Reservatis Pontificiis, quàm à Collationibus favore personarum non qualificatarum exercendis stant eadem illæ rationes, quæ quoad Præbendas *primæ gratiæ* & ex Sacro Conc. Trid., & ex Constitutione Caroli V. in Statutis Archidiæcesanis Colonienfis insertâ, & quoque in Recessibus Imperii fuerunt adductæ. Etenim in illis ordinationibus Pro Bono Religionis Catholicæ evidenter dispositum fuit: ut ea Beneficia, quæ modò ante S.
 Conc.

Conc. Trid. pro Professoribus actu docentibus fuerunt destinata, etiam posthac cum exclusione & Precum Imperialium, & Expectatarum Apostolicarum pro illis inviolata manerent. Dum ergo Præbendæ *secundæ gratiæ* dudum ante S. Conc. Trid., imò per Eugenium IV. modò autè celebrata Germaniæ Concordata, & per Nicolaum V. paucis post illa Concordata solenniter inita annis fuerunt Viuesitati pro Professoribus actu docentibus concessæ; Eapropter & imposterum hisce Præbendæ *secundæ gratiæ* erunt cum exclusione Personarum non qualificatarum necessariò conferendæ. Ità namque præcepit Augustissimus Imperator Carolus V., dum Anno 1549- Auctoritate Cæsareâ mandavit: ut ea omnia, quæ in Concilio Provinciali sub Adolpho III. erant ordinata, in omnibus suis Punctis, Clausulis, Articulis, Sententiis, & verborum expressionibus ritè, sanctè, inuolabiliter citra ullam fraudem & tergiversationem observari, implerique debeant... & hanc esse Majestatis suæ Cæsareæ animi sententiam, seriamque voluntatem. Dumque in ista Synodo Archiepiscopalis sollicitè discussum fuit: An Canonici, qui habent Præbendas sibi ex Indulto Apostolico cum onere legendi collatas, suo numeri juxta Bullarum Apostolicarum tenorem satisfaciant? ET AN CAPITULA VELINT AD ISTOS CANONICATUS ET PRÆBENDAS, QUÆ UNIVERSITATIS VOCANTUR, IN FUTURUM EOS SOLOS PROVEHERE, QUI VELINT, ET POSSINT EARUMDEM ONERA IPSIS VIGORE BULLARUM APOSTOLICARUM INCUMBENTIA SUBIRE... Hinc profectò extra omne dubium collocatur: quod hæc Ordinata ipsas tangant vel maximè *secundæ gratiæ* Præbendas, quia hæc solæ sunt, quarum collatio Capitulis per Indulta præexpressa Eugenii, ac Nicolai fuit impertita.

§. 18. De Præbendis *TERTIÆ GRATIÆ*, quid sentiam, sat modò declaravi in rationibus quoad Præbendas *primæ*, ac *secundæ gratiæ* magno in numero firmatis, quæ dum quoque pro Præbendis *tertiæ gratiæ* notabili ex parte faciunt, ideo de *His* idem, quod de *Illis*, debet esse iudicium. Nam hæc Præbendæ *Tertiæ gratiæ* Universitati Colonienfi sedente adhuc Tridentinâ Synodo & ob bonum Studii Generalis, & ob conservandam, propagandamque Religionem Romano-Catholicam, & ob extirpandas, impediendâsque hæreses fuerunt per Summos Pontifices in mensibus Apostolicis Martio, Julio & Novembri concessæ; Hæcque concessiones per Augustissimos Imperatores Carolum V., & Ferdinandum eo ipso suam obtinuerunt confirmationem, dum per Ipsos S. Concilium Trident. cum omnibus inibi contentis non modo laudatum, firmatumque, sed & in Recensibus Imperii ordinatum fuit: hujus Sacri Concilii Decreta esse observanda, quò super jamtum abante in Concordatis Germaniæ dispositum habebatur: quod ea observari deberent, quæ in futuro Concilio Œcumenico statuenda forent... Et hinc in Annalibus Universitatis varia existunt præjudicia, quod Præbendæ *tertiæ gratiæ* Professoribus cum exclusione Precistarum fuerint collatæ, prout illa præjudicia in lite Viennenfi fuerunt adducta... Non exiguum hisce rationibus accedit

cedit robur ex eo, quod Celeberrima Universitas Lovaniensis pariter varios menses Apostolicos sibi habeat concessos ad hoc, ut Præbendas in istis mensibus vacantes Professoribus actu docentibus conferre queat, quodque in istis Præbendis nec Preces Cæsareæ, nec Expectativæ Apostolicæ, nec ullæ aliæ collationes habeant locum, prout pariter in lite Viennensi per documenta legalissima fuit verificatum. Quod ergò hoc in puncto est Juris pro Universitate Lovaniensi, Coloniensis Universitatis Filiâ, quid vetat, quod hoc non etiam à potiori, stantibus tot momentissimis rationibus, obtineat in Universitate Generalis Studii Coloniensis, quâ Matre Universitatis Lovaniensis ?

Essent quidem adhuc multa tam de Precibus Cæsareis, quàm de Jure Universitatis circà Præbendas *secundæ*, ac *tertiæ gratiæ* (de *primæ* enim *gratiæ* Præbendis Res judicatæ loquantur) commemoranda, verùm spatium Anni Academici vix non elapsi finem imponere suadet. Spero interim, me in hoc quinque septimanarum labore promissis in Præfatione datis satisfecisse, & *suum cuique æquâ mensurâ tribuisse*. Paratissimus sum (prout esse debet quisquis veritatis amator) ad emendandum ea omnia, quæ præter spem aut veritati, aut unius, alteriusque Juribus, aut debitiæ Venerationis Legi contraria fuerint deprehensa.

Et monitus meliora, sequar, meliora probabo

A. M. D. G.

[Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through or ghosting.]

[Main body of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

A. M. D. G.

[Faint, illegible text at the bottom of the page.]

TIFFEN® Gray Scale



















© The Tiffen Company, 2007

- A** 1  **R**
- 2**  **G**
- 3**  **B**
- 4**
- 5**
- 6** **M**  **W**
- 7**
- 8**  **K**
- 9** **G** 
- 10**
- 11**
- 12**
- 13**
- 14** **C** 
- 15** **Y** 
- 16**
- 17** **M** 
- 18**
- 19** **B**



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
								
								

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8